Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Wipo (Presbyter) - Cod. St. Blasien 60

[St. Blasien], [18. Jh.]

urn:nbn:de:bsz:31-52157

Visual Library

Wijno
A.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

a J. Blasien 60

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

25

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

G. H. BIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Rerum Germanicarum Veteres

jam primum publicati

Scriptores VI.

jn quibus preter reliquos, Wippo de Conradi salici imp: vita, et tres antiquitatum fuldensium, diu desiderati libri, inveniuntur.

Ex

Joannis Pistorii

Bibliotheca eruti et vindicati

nunc

Editione Tertia

recisi, emendati, et variis observationibus illustrati,

Curante

Burcardo Gotthelffio Struvio,

seren: ducum Saxoniæ, et seren: Marchionis Brandenburgici Consiliario aulico, Historico Saxonico, et in Academia Jenensi professore.

Cum gratia et privil. sac. Caes. Majtemque potentiss. Reg. Polon. et Elect. Saxoniæ speciali.

Ratisbonæ,

Sumptibus Joannis Conradi Deeßij MDCCXXVI.

Epistola Dedicatoria

Epistola dedicatoria.

Reverendissimo et illustrissimo
Principi ac Domino
Domino Joanni Friderico
Abbati Fuldensi,
Divo Augusto Archicancellario per Germaniam et Galliam primati, &c. Domino suo humillime colendo.

Optime plurimumque de majoribus nostris et Republica mereri, qui libros veteres, et in eis vel res gloriose gestas, vel varia habitata, possessasque provincias, vel liberorum et familiarum procreationes, non domi tantum in usum servant, etc.

etc. etc.

Nam, ut pauca de nonnullis, quæ in hoc tomo sunt, dicam, primum volumen quot quantasque res congesserit, vel nullis antea publicis literis, vel non ita luminose traditas! quot belgicas per liberos et nepotes ductas explicatasque familias! sine quibus mancam Germanicam Belgicam historiam esse, neuissum esset.

Secundus vero libellus, qui nunc primum ex tenebris, in quibus per annos 600. latuit, in mundi conspectum meo labore profertur, quantum lumen est in rem historicam! Ut enim alia non essent, eius solo beneficio Gisulo, uxoris Conradi salici imp: vera, diu hactenus varieque disceptata origo asseritur: quam alii quondam Rudolfi, Burgundiæ regis postremi, sororem, Conradi filiam; rursus alii Henrici sancti ex sorore Gerbirga neptim ceciderunt: alii ad Lucenburgios vel Mosellanos principes, vel ad Francis reges, alii alio retulerunt, summa opinionum varietate et historicorum dimicatione. At nunc ex Wippone (: author is est secundi libelli, certo fidei scriptor, et Conrado salico

à sacris:) sine dubitatione constat, ab Hermanno, Suevorum duce, fuisse ex Gerbirga (non Garyopiga) Rudolfi Burgundi sorore susceptam: quo omnia consentiunt. Sic enim Henrico sancto Imperatori Gerbirga soror, nisi religioni devota et in Chinnsee tobatissa: cui filiam Gisalam affingere, quam esset in vitam monasticam, et in ipsum Salicum prorosum? Hermanno igitur Suevo, Henrici sancti propinquo, non soror Gerbirga, sed Burgunda Conradi filia Gerbirga nuptum collocata, Gisalam genuit: quo et primo in Brunonis, et Marchionis, Saxonis, ex Henrici Aucupis germanitate: et secundo in Ernesti Suevio ducis (qui Leopoldi filius:) et tertio in Conradi Salici Imperatoris matrimonio vixit: mater ex Salico Henrici III. imperatoris et aliquot filiarum. Ubi simul veterum scriptorum aliquot, et in iis Trithemii turpe deliramentum, errores convincitur, quos Henricum III. Comitis à Calw filium, et per filio Salici nuptias ad imperium evectum, comminisci non puduit.

Sic contentus Vuippo, mariti simul Conradi Salici gentem explicat, et eius patrem Henricum vel Henzilonem; matrem Adelheydam Francici generis, Alsatio Ducissam; avum Othonem Francorum; patruum, Conradum Carinthio Ducem; patrueles Conradum Carinthium, huiusque fratrem Brunonem, Herbipolitanum Episcopum, recenset: totamque familiam ad authorem Conradum Ostrofrancorum, et Suevorum, occisum in bello Ungarico Anno 917. principem, Werneri filium, ducit.

Reliqua non attingemus, quo de utriusque Conradi patruelium ad Romanorum regnum aspiratione, quo de alterius Conradi in Familia commodum cessione

cessione, quo de vita et gestis, quo de pietate et moribus commemorat: quo sine Wipponis testimonio vel dubitata nobis, vel incomperta et neglecta prorsus essent: ut illum non periisse authorem, per magni ad rerum germanicarum notitiam, atque dignitatem interfit.

Utinam vero idem reliquis imperatoribus obtigisset, et quisque similem nactus Wipponem esset, qui eius familiam, nuptias, consanguineos, et facta, tum in libris consignasset, tum eque feliciter ad nos transmisisset. Veterum certe principum magis splenderet, et minus ambigeretur dignitas: nec ita dissimiliter in libris successiones jactarentur. At illa felicitas Conradi fuit: ut hodie eius omnia, tanquam si recenti memoria accidissent, sine errore magna animi credentia recordemur: qui secundi libelli fructus est, et Wippponis in nos beneficium.

etc. etc.

Atque ho cause sunt, cur et Reverendissimo, illustrissimoque nomini tuo presentem tomum nuncupaverim; et cur, si intermisissem, alienum ab officio virtutis pietatisque meae fecissem. Suscipe igitur, Reverendissime et illustrissime princeps, cum libro humilimum me tuique observantissimum servum: nec patere, ut vel libro frustra obstrigident obtrectatores, vel mea in te fidelissima constantissimaque veneratio (quo perpetua erit) in dubitationem vel suspicionem tanquam deveniat. Deus te Ecclesiae, imperio, et nobis in multos annos servet, ornet, augeat. Sic quotidie et opto

et ad

et ad Deum intercedo: et solent meum boni viri quam plurimi. Friburgo Calendis Augusti. Anno 1607.

Celsitudinis Reverendissimae, illustrissimaeq; tuae

servus humilimus et paratissimus

Joannes Pistorius D. ser. dom. vestri prolatus domesticus, Ecclesiae Cathedralis Vratislav. propositus, sac. Cesar. Majest. à Consiliis.

Continentur

Continentur

Hoc Rerum Germanicarum Tomo* Ordine Hoc:

*(Scil: Tomo III.)

I. Magnum Chronicon, in quo cum primis Belgicæ res & familiæ diligenter explicantur, Authore, vel Collectore ordinis S. Augustini canonicorum Regularium prope Nussiam religioso . . . . . fol. 1.

II. Wippo de vita Chunradi Salici imperatoris. fol. 457.

III. Germanicarum antiquitatum thesaurus: vel traditionum fuldensium Libri III . . . . . fol. 487.

Singularum traditionum enumerationem subiecimus statim post seq. pagina, ut ibi simul in conspectu essent.

IV. Augustanum Chronicon ecclesiasticum, Authore Sigismundo religioso . . . . . fol. 655.

V. Chronicon Episcopatus Constantiensis, inchoatum à Jacobo Manlio, Brigantino, Doctore: postea auctum ab alio bono viro, adiectis Episcoporum familiis . . . . . fol. 687.

VI. Chronicon Episcoporum Mindensium, incerto Collectore: cum Ecclesiæ illius priviegiis. fol. 807.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

rum germa-
arum To-
o III.
pg: 457.

(Præfatio
Burcardi Gothelffii Struvii)

Benevolo Lectori Salutem!

Haut infimus Imperatorum Germanicorum imperator fuit Conradus II. qui Hungariam Burgundiamque Germanico adquisivit imperio. Huius imp: Historiam non sine laude persecutus fuit Wippo, illorum temporum presbyter, eandemque Henrico III. Imp: Conradi Filio dicavit. Breve quidem scriptum est, verum accuratum, fideque dignum, dum ea saltim, ut ipse in præfatione testatur, scripserit, quæ ipse viderit et ab aliis acceperit. Neque tamen omnem Conradi Historiam exponit, sed ab illius factim electione in imperium incoat, nihil de nativitate, educatione, gestisque anterioribus tradens. In hoc tamen lucem adfert Historio, quod imp: eiusdemque Coniugis, Giselæ, parentes et ortum, modum electionis imperialis, quem fane nullus scriptorum alias tam accurate descripsit; et

Collate:

gesta Conradi, fide admodum digna, exposuit. Gotfridi etiam Viterbiensis, aliorumque, qui eum *sequuntur, commentum, qui Henricum III. Comitis à Calwe ex Conradi filia: dicent fuisse prognatum, ex eo facile poterit confutari, dum ipsum disertis verbis Conradi II. filium fuisse dicat. Addi tamen merentur, quantum ad Conradi Imperatoris ortum, Francisci Guillimanni Tractatus de vera origine et stemmate Conradi, et potissimum celeberrimi viri, e Simonis Friderici Hahnii Oratio de genuino et salico Conradi II. ortu, qui stemma Imperatoris ex genuinis scriptoribus illustravit. Adiecit Auctor noster versus, pro obitu Conradi Imp: quos etiam Io: Georgius Eccardus veterum monumentorum quaternioni (a) inseruit, eosdemque ex Manuscripto, in quibusdam vocibus a nostro Auctore discrepantes. Scripsit idem Wippo Tetralogum S: panegyricum, ligato sermone, in honorem Henrici III Imp: ad quem ipse in hoc scripto provocat, quem ex Codice Augustano primus in hanc Eulem protraxit Henricus Canisius. (b).

*pagina 458.

(a)

(b)

(a) p: 86. (b) Tom. II. lect: ant. p: 190.

Wippo de

Pertum Germanicae Tomo III. pag: 459.

Wippo de Vita Chunradi Salici Imperatoris.

num: 421.

Epistola ad Regem Henricum Chunradi Imperatoris Filium.

Gloriosissimo Imperatori, Henrico tertio Regi, ad pacem et bellum idoneo, Wippo Dei gratia presbyter, servus regalium servorum, huius orbis Domino dominantium: Vitam illustrem, et inclyta gesta Conradi imperatoris patris tui, Domine Imperator, scribere opportunum existimavi, ne lucerna lateat sub modio, ne solis radius sit in nubilo, ne virtus memorialis obducatur oblivionis rubigine. Gesta enim illius, nisi proclara et valde lucida procederent, a sequenti nimio splendore tuarum virtutum viderentur aliquatenus obscurari. Mihi autem servulo tuo is animus est, si Deus annuerit, utriusque acta referre, quo acciderunt me superstite, ita inter nos distinguendo, ut in alterum Romp: utpote Romanum imperium salubriter incidisse, alterum eandem rationabiliter sanavisse veraciter dicam. Quod si hinc plus vel minus, vel aliter se integritas rerum habet, scribo vel dixero, non erit culpa scribentis, sed narrantis, quoniam cum plurimum temporis infirmavi, non potui in Capella senioris mei Conradi frequenter adesse. De his autem, quo ipse vidi, et ab aliis accepi, fructum à vobis colligere volentibus stylo veritatis innixus

Collat. per rote.

V V

propalabo. Et quoniam sunt quodam, quæ vivente patre laudabiliter egisti, eadem inter acta patris ponenda censueram. Quæ vero post obitum illius gloriose fecerat, per se ordinanda decrevi. Si vero aliqui calumniantes obiciunt mihi, hoc opus superfluum esse, cum et alii de eadem re scripserint, licet inde nondum aliquid scriptum vidissem: respondebo, in ore duorum vel trium stabit omne testimonium: et verba Christi in Evangelio, non per unum solum, sed per quatuor testes idoneos in ecclesia dilatari. Tibi, summe Imperator, hoc opus devoveo, tibi gesta patris repræsento, ut, quotiies ipse res clarissimas agere meditaris, prius paternas virtutes velut in speculo imagineris, et illud in te floreat abundantius, quod hereditasti à patrius radicibus, qui, ut cunctos antecessores tuos in quibusdam divinis et mundanis rebus superasti, ita regnum et imperium tuum diuturnius omnibus illis, favente Deo omnipotente, merearis obtinere. Vale.

Incipit Prologus

ag:460.

Incipit Prologus.

Rerum labentium fugitivam memoriam literarum vinculis connectere, et prosertim Christiani Imperii laudes inerti silentio non transire, cum et his, qui hoc in hac vita bene administrabant, inde quædam perpetuitatis perduret gloria, tum posteris, si æmulari parentes velint, bene vivendi apposita sit forma, aptum et conveniens esse putavi; quia utile exemplum imitantis animum promptiorem atque firmiorem in rebus agendis reddere solet. Item fit plerumque, ut de laude maiorum facile nascatur verecundia, et confusio posterorum, si se his saltem non æquaverint, cum gesta eorum fama docente laudaverint. ut enim virtus plerosque vulgares nobilitat, sic nobilitas sine virtutibus multos nobiles degenerat. preterea videtur non licere de victoriis Catholicorum principum tacere, et Tyrannorum infidelium triumphos largis vocibus publicare. Satis inconsultum est, superbum Tarquinium, Tullum et Ancum, patrem Eneam, ferocem Rutulum, et huiusmodi quoslibet et scribere et legere: nostros autem Karolos atque tres Ottones, Imperatorem Henricum secundum, Chuonradum imperatorem, patrem gloriosissimi Regis Henrici III. et eundem Heinricum, Regem in Christo triumphantem, omnino negligere. Verendum est modernis scriptoribus vitio torporis apud Deum vilescere: cum primitiva autoritas veteris testamenti, quæ historias patrum fructifero labore diligenter exarat, novarum terrum frugem in memoriæ cellario recondi debere profiguret, et doceat. Sic Abraham Loth, fratruelem

num: 1722.

suum

suum, in bello liberasse commemoramus: sic filios
Israel hostes diversos superasse comperimus. Sic Da-
vid regis prælia, Salomonis consilia, Gedeonis inge-
nia, Machabæorum pugnas, propter scriptorum copiam
præoculis habemus. Veteres enim philosophi diverso
modo reipub: consuluerunt. Referebant plerumque
somnia probabilia, quibus animos auditorum indu-
cerent in id, quod affirmare instituerunt. Interdum
ad idem officium fabulosas narrationes, honestis rebus
et nominibus velatas, cum huiusmodi figmenta nil phi-
losophis refragentur, adinvenerunt: sæpe apertis di-
sputationibus rationis fidem faciebant reipub. rectori-
bus animos humanos æternos esse: et ut refert Macrobius
Socratem dixisse, animam post animam non perire, atque
omnes pene philosophi humani studii fructum non cum
vita ipsius terminari, sed omnes, qui patriam adiu-
verint et legem conservaverint, sempiterno ævo feliciter
perfrui, justitiæ vero contemptoribus, iusti crea-
toris judicio, pœnam reservari indubitanter docuerunt.
Animam vero humanam immortalem esse, id et mul-
tis rationibus probarunt, tum inde, quod, dum cor-
poreis nexibus inclusa, ea libertate utitur, ut mo-
do sidereos recessus, modo terrestres, interdum ma-
xima abdita, quæ nunquam corporaliter videbat,
vivaci motu cogitationis percurrat: aliquando vi-
gilante, interdum quiescente corpore, plurima
futura suo, non alieno visu colligat, eaque memo-
ria retineat: nebuloso velamine carnis exuta, mul-
to liberius eadem vivacitate perfruatur. Idque
credere, quin potius scire, maximo usui fore prin-
cipibus, aiebant, qui sæpe per insolentiam torpe-
scentes

scentes, sequentis vitæ commoda minus attendunt.
Quam ob rem Victoribus statuas et monumenta quam
ampliss̃ima fecerunt antiqui, eorumque acta inscribi
debere consuerant, ut illis mortuis honor* extaret, ad
perpetuam memoriam posteritatis, quorum animas
vivere credebant in perpetuum. Licet ipsi humana
tantum sapientia investigarent immortalitatem animo,
quæ illis nec dum à Christo aut promissa vel ostensa
fuerat: hinc tamen adducti, et justitiam ipsi colebant
et hanc lectoribus patriis scriptis suis diligenter inculcabant. Acta verò Reipub: mori simul cum eius
lectoribus arbitrati sunt, nisi quod accidit, notaretur,
et propter desidiam silendi maximam perniciem fieri, si ex scriptis remanentibus non pateret, illud unum
quodcunque sequi defunctum, cui vivus adhibuit studium. Nos autem, à quibus sermo veritatis eliminavit torporem taciturnitatis, dicendo: quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Cur principibus Christianis et evangelicæ fidei assertoribus sustinemus negari, quod suis ultro offerunt pagani? si enim nostri Catholici reges, vero fidei defensores legem, ac patem Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, sine periculo erroris, gubernant, qui eorum benefacta scriptis suis manifestabunt, quid aliud quam Evangelium Christi prædicabunt? quam vis animus scribendis vacillet aggredi arduas res maturo consilio, morali gravitate, summaque constantia peractas, etsi inepto luxu, vel ficta audacia aut cupiditate flagitiosa fiant, res, in quibus cunctis scriptorem oportet versari, et in actis eorum, quæ notat, vulganda sunt tam gesta, quam omissa, prout facultas ingenii

*pag. 461.

genii dederit, ex qua re boni ad virtutem incitantur
mali autem honesta invectione corriguntur. Ella igi=
tur est causa scribendi, quod nulla vetat religio, et com=
mendat intentio, et probderit patrio, et benedictio con=
ducit posteritati. Quod proterit, in promptu est:
quicquid autem futurum est, non est in prenotione.
Qua de re atque ipse adductus, hoc scribere volui ad com=
munem utilitatem legentium, quod audientibus esset
iucundum. Nam si quid in his, quod inhonestum,
afferatur in potestate lectoris ad imitandum erit
in propatulo: quod etiam facio meo provectu, utqui
multis prementibus vitiis corpus, excitante deo, ocio=
sitatem velut animo inimicam, his occupatus nego=
tiis, vitare valeam. Siquidem cum de publicis ge=
stis paratus sum dicere, precipue duorum acta le=
num: 923. gum complectar, scilicet Conradi imperatoris, atque
filii eius Regis Henrici tertii, quem Henricum Lineam
iustitie cuncti pene prudentiores cognominant. patris ve=
ro gesta, que meis temporibus acciderant, prout ipse
vidi, aut relatu aliorum didici, calamis pingentibus,
ignaris successoribus effigiabo. Acta autem clarissima
filii, quoniam adhuc dei gratia superstes regnat, quam
diu vixero, congregare non desinam. Quod si hoc accide=
rit, ut sicut ante legem hanc vitam mihi contigit intro=
ire, sic mihi accidat exire, et comodo opus meum im=
perfectum deseram, obsecro post me scribentem, ne
pudeat illum meis fundamentis parietes suos super=
ponere: ne spernat stylum cadentem erigere: ne in=
videat meis coptis, sicut nollet aliquem invidere
suis non finitis. Si enim qui incepit, medium habet
non oportet esse aliquem in huius operis calce in=
gratum

gratum, qui principium inveniet preparatum.
Hæc de proœmii compendio proposui: nunc ad gesta
Imperatoris veniam: sed prius de electione eius, quam
idonea fuerit, pauca edisseram: ut inde probabilius
scribere valeam, si prius, qui pontifices, vel ceteri
principes tunc temporis regni presidio fuerint,
commemorabo.

De Conventu Principum

Anno ab incarnatione Domini Millesimo XXIIII.
Imperator Heinricus secundus, bene compositis imperii
rebus, cum iam post longum laborem maturum fructum
pacis metere cepisset, imperio incolumi, mente sana,
corporis correptus est infirmitate: qua invalescente, III.
Idus Julii hanc vitam excessit: Cuius corpus de Nouo-
nia ad sepeliendum ducitur ad locum, qui dicitur Ba-
benberg, ubi ipse bono zelo ac studio fundavit episco-
patum, omni ecclesiastico* apparatu insignem. Ad cu-
ius dedicationem Dominum Apostolicum, nomine Bene-
dictum, asivit, cuius authoritate, ad tutandum locum,
privilegia publica stipulatione confirmavit. Post im-
peratoris obitum, Respublica amisso patre, tanquam
desolata, in brevi vacillare cepit. Unde cuique optimo
metus et solicitudo: pessimis autem in voto imperium
perielitari erat. Verum divina providentia anchora
Ecclesie commisit viris potificalibus, et his guber-
natoribus, quales ad ducendam patriam sine iactu-
ra in portum quietis eo tempore superesse oportebat.
Nam cum imperator sine filiis obiisset, quilibet potenti-
similes

*nagelbe

simus secularium principum vi magis, quam ingenio nitebatur, aut fieri primus, aut quamunque partione in primo secundus: ex qua re discordia pene totum regnum invasit; adeo ut in plerisque locis cedes, incendia, rapine fierent, si non ex impetus illustrium virorum flagramine impedirentur. Imperatrix vero Chunigunda, quanquam maritali rigore destituta foret, tamen consilio fratrum suorum, Theoderici Metensis Episcopi et Heinzelonis ducis Bavarie, pro viribus eis sibi succurrebat, et ad restaurandum imperium acrem ingenii mentisque solicita consideratione direxit. Sed petit, ut dicam summorum nomina quodam, seu pontificum sive secularium principum, qui tunc in regnis vigebant, quorum consiliis consuevit Francia reges eligere, ne eaque dicturus sum, quasi fortuitu videantur fieri, sed ut, quod prudentissimorum virorum consilio cernitur actum, utile et honestum atque optimum factum credatur. Eo tempore Archiepiscopatum Moguntiensem tenuit Aribo, natione Noricus, nobilis et sapiens, aptus legationis consiliis: Coloniensem vero Archiepiscopatum Pelegrinus tenuit, consanguineus Aribonis providus, et ad id officium idoneus: Treverensem quoque Archiepiscopatum gubernavit Heppo, frater Ernesti ducis vir pius et humilis, qui eodem tempore filium fratris sui, ducem Ernestum, cum ducatu Alemanico sub tutela habuit: Metensem Episcopatum Theodericus nobilis, et in virtute strenuus possedit: Argentine civitati Werinharius Episcopus prefuit, generosus in divinis, et secularibus officiis studiosus: Wurzeburgensi ecclesie insedit (Marcelinus:) Marcelinus sapiens, et in ecclesiasticis dignitatibus fidelis: Babenbergensem

bergensem episcopatum Eberhardus rexit, primus
episcopus Ottonis Magni, vir ingenio et moribus Rei=
pub: valde necessarius: Constantiensis ecclesiæ præfuit
erat Heimo, vir sapiens in Deo, modestus, et provi=
dus ad seculum: Augustam Vindelicam regebat Epi=
scopus Bruno, frater Henrici Imperatoris, utilis
et clarus ingenio, si fraterno odio, quo Imperatori
oberat, non obfuscaretur: Juvavensem Ecclesiam, quam
vulgari sermone Salzburc dicunt, rexit cono memo=
rio Gantherus Archiepiscopus, frater Eberhardi (: alias num: 1021.
Beccardi:) et Hermanni comitum, mitis et bonus, quod
Deum et homines: Radesbonensis ecclesiæ episcopus
erat Burckardus (: al: Lebehardus:) benevolentia gra=
tiâ conspicuus: Frisingensem ecclesiam regebat Albertus
(: Agilbertus:) Episcopus, prudens gubernator cleri et
populi sui. Cum istis multi alii pontifices et Abbates
ex iisdem regionibus aderant, quos singulos nominare,
operis fastidium generat. Saxonie præsules, quoniam
me latuit, quid de vita eorum nominibus addicere con=
veniret, memorare vitavi, quanquam et eos summis
rebus adesse, consulere, succurrere procul dubio per=
ceperim. Italiam transeo, cuius principes in brevi con=
venire ad regiam electionem nequiverunt, qui postmo=
dum in urbe constantiensi cum Archiepiscopo Medio=
lanensi et reliquis principibus occurrentes regi, sui
effecti sunt, et ei fidelitatem libenti animo iurave=
runt. Duces autem supradictis viris contemporanei
fuerant: Benno dux Saxonie: Adelbero dux Histri=
ie: Welzilo dux Boiorii: Ernestus dux Alemanni=
ie: Lutaringorum dux Friderius: Ribuariorum dux
Gozelo: Eduo Wormatiensis, dux Francorum: Udal=
ricus dux Bœmie; Burgundia enim nondum Romano
imperio

imperio, ita ut nunc, acclivis fuerat. Quod autem facilecta est modo, trium regum gloria asseribitur. Secundus Heinricus imperator primum eam subiicere intendit, (tentavit) et bene in hoc studio perseveravit. Deinde Conradus imperator animose impetu Francos hostiliter ex ea eiecit, bellogs eam subiugavit. Ad extremum Rex Heinricus tertius, pius, pacificus, linea iustitie, bello et pace eandem Burgundiam temperavit cum magnificentia: ubi, quo divina providentia tam pacis, quam belli consiliis, conciliis et conventibus, quibus interdum ipse interfui, peregit, alias commemorabo. Nunc ad propositum redeo. Ungaria autem, quam idem Rex Heinricus tertius nobili atque admirabili victoria domuit, et post victoriam sapientissimo consilio sibi et successoribus suis stabilivit, predicto tempore nec audire nos sustinuit. *pag: 463.

Supra memorati episcopi et duces, ceterique potentes, haud aliter periculum minitans, melius aut citius evadere nati, summa opa et industria memorabili ulcecantur, ne reipubl. diutius sine regente mutaret, privata consilia et animos singulorum, cui quisquam consentiret, cui dissentiret, aut quem sibi dominum optaret, epistolarum et legatorum commoditas conferebat, neque id in vacuum. Nam providentie est, interius preparare, quo foris indiges, et consilium ante opus, semen est sequentis fructus. Frustra enim ab altero auxilium expectas, si ignoras, quid desideres. In rebus arduis secreto consulere, paulatim deliberare, velociter facere, bonum exitum habebit. Tandem condicta est dies, notaturque locus, fit publicus conventus, qualem me vidisse antea non memini. In

quo

quæ conventu quid actum sit dignum memoria, scribere non differam.

De Electione Regis.

Inter Moguntio confinia et Wormatio locus est amplitudine planiciei causa, multitudinis maximo receptibilis: ex insularum recessu ad secretas res tractandas tutus et habilis, sed de vocabulo et situ loci (a) plenius dicere Topographis relinquo: ego autem ad inceptum redeo. Ibi dum convenissent cuncti primates, et ut ita dicam vires et viscera regni, eis et circa Rhenum castra locabant. Qui, dum Galliam à Germania dirimat, ex parte Germaniæ, cæsones cum sibi adiacentibus Sclavis, Franci Orientales, Norici, Alemanni convenere. (a)

De Gallia vero Franci, qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Lutharingi, coadunati sunt. Quæritur de re summa dubitatur de electione incerta: inter spem et metum suspensi, alterna desideria cum invicem cognati, tum inter se familiares diutissime explorabant. Neque enim de mediocri re computandum fuerat, sed de ea, quo nisi ferventi pectore maximo studio coqueretur, ad periculum totum corpus regni terminaretur. Et ut proverbiis communibus utar, expeditori, bene coquere cibum, qui crudus sumptus generat periculum, et ut aiunt, medicamen in oculis ponendum caute est providendum. Eodem modo, cum diu certaretur, quis regnare deberet, cumque alium Ætas vel nimis immatura vel ultra modum provecta; alium virtus inexplorata; quosdam insolentis causa manifesta recusaret: inter multos electi pauci sunt, et de paucis admodum, duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum, summorum virorum summa diligentia diu deliberatum, in unitatis punctum tandem quievit. Erant duo Chunones, quorum unus, quod majoris ætatis esset, num: 425

maior=

Notam (a) vide facie sequenti huc pertinentem.

maior Chuno vocabatur: alter autem junior Chuno
dicebatur, amboque in Francia Teutonica nobilissimi, ex
duobus fratribus nati: quorum alter Hetzel, et alter
Chuno dictus est: ipsos vero ab Ottone Duce Franco-
rum natos accepimus, cum duobus aliis Brunone et
Wilhelmo; ex quibus Bruno, Apostolice sedis Roma-
no Ecclesie Papa effectus, mutato nomine, Gregorius
appellatus est: Wilhelmus, factus Argentinensis Eccle-
sie Episcopus, miro modo eam sublimavit. Prodicti
duo Chunones, cum essent, ut dictum est, ex parte
Genitorum nobilissimi, haud secus ex materno genere
claruerant. Juniores Chunonis mater Machilda, de
filia Conradi, Regis Burgundie* (alias Longobardie)
nata fuit. Majoris Chunonis mater Adelberta (vel
Adelbera, vel Adelheyda:) ex nobilissima (gloriosissi-
ma:) gente Lotharingorum oriunda fuerat. Cuo
Adelhayta, soror erat comitum Gerhardi et Adel-
berti, qui semper cum Regibus et ducibus confligentes
ad extremum, causa propinquitatis, Conradi Regis, via
acquiescebant; quorum parentes (ut fertur:) de antiquo
genere Troianorum Regum venerant, qui sub beato
Remigio Confessore, lugo Fidei colla supponebant.
in his duobus, id est, in majore Chunone et juniore
(minore:) diu pendebat reliqua nobilitas: et quanquam
maiorem Chunonem secretiori consilio, et avido desi-
derio, propter virtutem et probitatem illius, pene om-
nes eligerent, tamen propter juniores potentiam, ne
pro honoris amoitione diffiderent, animum suum
ingeniose quisque dissimulabat. Ad extremum vero
divina providentia contigit, ut ipsi inter se convenirent
quodam

*pag. 464.

(a) Hermannus contractus ad a. 1029. habito conventu
apud Villam Kambam, Cuonradus senior, filius Hen-
rici, rex promotus.

quodam pacto, in tam dubia re satis convenienti ut, si quem illorum major pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet. Æstimo, quod dignum sit dicere, qua ratione major Chuno suum prodidit ingenium, non quod ipse desperaret Regnicii, unde iam nutum Dei principium cordibus inspirari (: inspiratum :) perceperit, sed ut cognati animum, quo minus in novis rebus perturbaretur, confirmaret. Hac igitur prostantissima oratione illum alloquitur. Rebus prosperis condignum gaudium, nec gravitatis modum excedit, nec quenquam ingratum esse pro acceptis beneficiis finit: id sicut in adversis damnosa pusillanimitas ad deteriora trahit, sic in secundis honesta jucunditas hominem ad meliora ducit, et parum valet fructus parto felicitatis, qui moderata alacritate non pascit animum laborantis. Hoc modo animi mei vigorem magnis gaudiis augeri sentio, quod ex tanta concione consensus parilis omnium nos duos solummodo providebat, quorum alterum regali fastigio locaret. Neque enim æstimare debemus, vel nobilitate, vel divitiis propinquos nostros antecedere; aut aliquid nos promeruisse tanta veneratione dignum, verbis, manibus non oportet extollere. Majores nostri gloriam suam factis, quam dictis prodere maluerunt: communi vita contentos esse decebit quoslibet inter æquales. Quicquid autem id est, quod ad aliquid habiliores reliquis putamur, inde grates Auctori Deo reddamus. Nobis ergo cogitandum est, ne, qui aliena consensione digni tanto honore æstimati sumus, proprio et familiari dissidio indigni hac gratia videamur. Stultum est enim aliena potestate pro suo nimium abuti. In omni electione nemini licet de se ipso judicare: licet autem de alio.

Quod

Quod si alicui de se liceret, quod regulos, ne reges dicam, videremus? non erat noster potestatis hanc dignitatem ex multis inter binos coarctare. Vota, studia, consensus Francorum, Lothaingorum, Saxonum, Boiorum, Alemannorum (a) qui optimam voluntatem habebant, ad nos conferebant, tanquam ad unius stirpis proaginem; veluti ad unam domum; sicut ad indissolubilem familiaritatem, quos ex tam multis causis connexos dissolvi posse inimicitiis, nemo suspicabitur. concordare decet, quodquod natura ligavit, quos sibi cognatam iungit amicitiam. Quod si ultro oblata ab aliis aliqua re impediente, reiicimus, hoc est

num: 426. si invicem discordamus, certum est, quod populus tunc velit nos deserere, ac tertium quemlibet sibi quaerere: et nos non tantum summo honore privabimur, sed quod omnibus bonis morte detestabilius est, infamiam ignaviae et invidiae incidemus: quasi et tanti regiminis virtutem non possimus sustinere; et alter alterius, quod inter consanguineos magnum nefas esse puto, cedere nollet honori. Maximus igitur honor, summa potestas circa nos adhuc* versabitur, et ita ad nos pervenit, ut si velimus, in altero nostrum remaneret. Quocirca mihi videtur, si in uno de nobis hic honor coadunatus remanserit, ut alter eiusdem honoris participatione alterius quodammodo non careat. sicut enim in regum parentes, quamvis cuncti reges non sint, honoris quodam derivatio transfunditur: sic et hi, qui conscripti et pronominati ad potestatem fuerint, licet ad hanc non perveniant, tamen honore quodam inde nato penitus non carebunt; nam ad suam dignitatem immeriti non exigerentur. proterea, si regum cognati propter reges honorantur, dumqs omnes erga nos tales esse velint, quales in viam consentaneam

* pagina 465.

Notam (a) vide pag: seqq:

tanea mente fuerimus, et eo modo provectus alterius
ex altero pendeat: qui feliciores nobis esse poterunt,
si alter regnabit, alter regnanti publicam rem per
benevolentiam suam quasi prestabit? quare cautissi-
mus: alienum propinquo, incertum certo non profera-
mus: ne hodierna dies, hucusque pro tali arbitrio satis
lota et jucunda, longi temporis infortunium nobis
pariat: sic concordiam tanti populi benignitatem ma-
le inter nos tractabimus. quod ne fiat, ex mea parte om-
nium cognatorum meorum dilectissime, quid de te sen-
tiam, dicere volo. Si animum populi cognoverit, te
velle te desiderare in Dominum et Regem: nulle prave
ingenio hanc benevolentiam à te revocabo, quin potius
te eligam tanto avidius ceteris, quanto me speraboti-
gratiorem illis. Si autem Deus ad me respexerit, de-
bitam vicem mihi à te reponendi non dubito. Ad hoc
minor Chuno respondit, totam hanc sententiam sibi
acceptam fore, sique illi, sicuti cognato charissimo,
si eum res summa vocaret, omnem regiam fidelitatem
facturum certissime promisit. Inter hoc verba Major
Chuno, pluribus videntibus paululum se acclinans,
cognatum osculatus est: quo osculo primum deprehen-
sum est, utrumque illorum alteri acquievisse. Hinc
sumpto indicio concordie, consedere principes: popu-
lus frequentissimus astabat:

Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat,
ferre palam licitum gaudebat tempus adesse.

(a) Quinque istos germanie populos, juris Germanici, Comitiorum atque electionis participes, diversis hic verbis Wippo recenset. Ubi igitur de Slavis et Vandalis, prout Conceius aliique, qui eum sequuntur, hoc addunt, dum isti juris germanici nunquam facti fuerint participes, potius germanis semper fuerint subiecti. Adde *Syntagma juris publici cap: III. §. II.

* Struvii

Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit et elegit maioris etatis Chunonem suum in dominum et Regem, atque Rectorem et Defensorem patriæ. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi, et reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Iunior Chuno, paucitatem cum Lotharingis placitans, statim reversus, maximo favore illum ad Dominum et Regem elegit: quem dex manu apprehendens, fecit illum considere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant: sit clamor populi: omnes unanimiter in Regis electione principibus consentiebant: omnes majorem Chunonem desiderabant: in illo persistebant: ipsum cunctis dominantibus nihil hæsitando, præposuerunt; eundemque regali potentia dignissimum judicabant: et ut nulla mora consecrationis illius fieret, postulabant. Supradicta Imperatrix Chunegunda regalia insignia, quæ sibi Imperator Heinricus reliquerat, Crown gracate, gratanter contulit, et ad regnandum, quantum huius sexus authoritatis est, illum corroboravit. Credo quidem, huii electioni cælestium virtutum favorem non deesse, cum inter singularis potentiæ viros tot Duces et Marchiones absque invidia, sine controversia is eligeretur, qui licet genere et virtute atque in propriis bonis nemine esset inferior, tamen de Republica, ad comparationem tantum virorum, parum beneficii et potestatis habuit. Quanquam Archiepiscopus Coloniensis, et dux Friderricus cum aliis quibusdam Lutheringis, causa junioris Chunonis, ut fama fuit, imò hoste pacis, Diabolo instigante, inpacati discederent: qui tamen cito reversi, ad gratiam Regis, propter eos, quos communis conditio mortis præoccupavit, quicquid ipse præceperat, gratanter

accipere

accipere, et Archiepiscopus Pilegrinus, quasi pro emen- num: 427.
datione prioris culpæ impetrabat à Rege, ut sibi liceret
in ecclesia Coloniensi reginam consecrare. De qua in se-
quentibus dicturus nunc ad Regem revertar. Vere Dei
nutu electus est, in quo ipse providit testimonium, quod
postea *Rex accepit ab hominibus. Erat enim vir magno
humilitatis, providus consilio, verax in dictis, strenuus
in factis, minimum avarus, omnium regum in dando
liberalissimus. De cuius moribus postmodum plenius
dicero. Illud ~~tamen~~ † ~~[illegible]~~ hic dicendum est, quo ne- tamen
quaquam potuit remanere, ut ille non fieret princeps,
et maximus, cui maximarum virtutum rigor inerat.
Cum enim scriptum sit, gloriam precedit humilitas: me-
rito processit huius mundi gloriosus, cui regina virtu-
tum adhærebat. Igitur non erat fas alicui in terra mi-
litare, quem Deus omnipotens predestinavit omnibus
imperare.

*pag: 408.

De Consecratione Regis

Peracta electione, Regem sequi Moguntiam, ut ibi sa-
cratissimam unctionem acciperet, cum claritate maxi-
ma omnes properabant. Ibant gaudentes, clerici psallebant,
laici canebant utrique suo modo: tantas laudes Deum
accepisse ab hominibus, una die in loco nondum comperie-
bam. Si Carolus magnus cum sceptro vivus adfuisset: non
alacrior populus fuisset, nec plus gaudere valeret de tanti
viri reditu, quam de istius Regis primo accessu. Rex per-
venit Moguntiam: ibi honore debito receptus, consecratio-
nem suam omnibus desiderabilem devotus prestolabatur.
Ad quem benedicendum, vi die nativitatis sancte Ma-
rie, cum Archiepiscopus Moguntinensis et omnis clerus
solenniter se prepararent, inter sacra officia regie unc-
tionis Archiepiscopus hoc ad Regem usus est sermone: Om-
nis potestas fluidantis seculi de uno fonte purissime derivatur.

vatur. Solet autem accidere, ut, cum plures rivuli de
eodem principio procedant, alio tempore sint turbidi, alio
lucidi, fonte capitali in puritate sua permanente. Eodem
modo, quantum humana conditio creatorem et creaturam
inter se confere audet, de Deo Rege immortali et terre-
nis regibus coniicere valemus. Scriptum est enim, om-
nis potestas a Deo est. Sic omnipotens Rex regum, to-
tius honoris auctor et principium, quando in principes
terre alicuius dignitatis gratiam transfundit, quantum
ad naturam principii pura et munda. Cum autem per-
venient ad eos, qui hanc dignitatem indigne tractaverint,
et eam cum superbia, invidia, libidine, avaritia, ira,
impatientia, crudelitate polluerint, sibi et omnibus sub-
iectis, nisi poenitendo se purgaverint, periculorum potum
iniquitatis propinabunt. Oret et intercedat ad Domi-
num omnis Ecclesia sanctorum, ut dignitas, que hodie
pure domino et regi nostro Conrado presenti a Deo
prestatur, inviolata, quantum hominis est, ab eo ser-
vetur. Tecum et propter te nobis est sermo, Domine Rex,
Dominus, qui te elegit, ut esses rex super populum
suum, ipse te prius voluit probare et postmodum reg-
nare: flagellat enim omnem, quem recipit: dignabatur con-
cipere, quem voluerat recipere; placuit ei humiliare, quem
proposuit exaltare. Sic Deus Abraham servum suum ten-
tavit, et tentatum glorificavit. Sic David famulum suum
Saul regis iram, persecutionem, iniurias, et latibula de-
serti, fugam, exilium prati permisit, quem postea re-
gem gloriosissimum in Israhel fecit. Beatus qui suffert
tentationem, quoniam hic accipit coronam. Non sine causa
te Deus exercuit, fructum sequentem in te dulcificavit.
permisit te antecessoris tui Imperatoris Henrici gratiam
perdere, et eandem iterum recipere; ut scias modo his
misereri, qui perdunt gratiam tuam: passus es iniurias,
ut

ut nunc scias misereri sustinentibus iniurias: pietas divina voluit te esse sine disciplina, ut post coelestem magisterium Christianum capereas imperium. Ad summam dignitatem pervenisti, vicarius es Christi. Nemo nisi illius imitator verus est Dominator: oportet, ut in hoc solio regni cogites de honore perenni. Magna felicitas est in mundo regnare, maxima autem, in coelis triumphare. Cum vero Deus à te multa requirat, hoc potissimum desiderat, ut facias judicium et justitiam ac pacem patris, quo semper respicit ad te: ut sis defensor Ecclesiarum et Clericorum, tutor viduarum et orphanorum: cum his et aliis bonis firmabitur thronus tuus hic et in perpetuum. Et* nunc, Domine Rex, omnis sancta ecclesia nobiscum rogat gratiam tuam, pro illis, qui contra te hactenus deliquerunt, et offensione aliqua gratiam tuam perdiderunt. Ex quibus est unus, Otto nomine, vir nobilis, qui te offendebat: pro illo et reliquis omnibus clementiam tuam oramus, ut illis dimittas pro charitate Dei, quo te hodie in virum alterum mutavit, et numinis sui participem fecit, quatenus ipse tibi eandem vicem pro universis delictis tuis dignetur rependere. In hoc sermone Rex misericordia motus, ingemuit, et ultra, quam credi possit, effluebat in lacrymis. Deinde, sicut Episcopi et Duces cum universo populo flagitabant, omnibus, quod adversus illum deliquerant, dimisit. Hoc omnis populus gratanter suscipiebat. Omnes manifesta pietate Regis pro gaudio plorabant:

Ferreus esset homo, qui plangere non potuisset,
Quod tantas ceu pas ignovit tanta potestas.

Et quamquam vindicare posset suas iniurias, si nunquam Rex fieret, tamen pro nulla tanta potestate fiducia ad ulciscendum aliquid reservabat. Peractis decentissimè divinis officiis et regali consecratione, Rex processit, et sicut de Saul rege legitur, quasi ab humero sursum

pag: 467.

num: 4128.

sursum cuncta velut ibat, et velut in quandam habitudinem antea non visam in eo transformatus, cum sacro comitatu alacri vultu, honesto incessu ad cubiculum rediit. Inde ad mensam regali apparatu receptus eam diem regio speciei primitivam officiosissime consumpsit.

De Dispositione Curiali et de Regina.

De Fidelitate facta Regi minus necessarium dicere puto, frequenti teste teste, quod omnes episcopi, duces et reliqui principes, milites primi, milites gregarii, quin ingenui omnes, si alicuius momenti sint, regibus fidem faciant. Huic tamen sincerius et libentius iurando omnes subiiciebantur, similiter sit dispositione curiali, quam Rex maiorem domus statueret, quos cubiculariorum magistros, quos infertores et pincernas et reliquos officiarios ordinaret, dia non est supersedendum, cum illud breviter dicere possim, quod nullius antecessoris sui ministeria aptius et honorificentius provisa meminit legi. Ad quam rem plurimum valuit ingenium Augustensis episcopi Brunonis, et Wernheri Argentinensis episcopi consilium, sed etiam Wernharii militis, quem Rex longe ante cautum consiliis, audacem bellis, frequenter secum experiebatur. Super hos omnes dilecta Regis coniunx Gisela prudentia et consilio viguit, cui pater erat Hermannus, dux Alemanniae. et mater eius Kerberga, filia Conradi regis de Burgundia fuit, uaius parentes de Caroli magni stirpe processerant, unde quidam de nostris in libello, quem Tetralogum nominavit (a) et

(a)

postea

(a) Auctor potius huius Tetralogi, ipse est Wippo, quem ex codice Augustano primus in lucem protraxit Henricus Canisius, eundemque tomo secundo lectionum antiquarum inseruit, in quo etiam bini versus allegati reperiuntur.

postea regi Henrico tertio, cum natalem Domini in Argentina civitate celebraret, presentavit, inter alios duos versus edidit hoc modo:

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno procedit Gisela prudens.

Cum tanto nobilitatis esset et forma decentissima, minime extollentis fuit; in Dei servitio timorata: in orationibus et eleemosynis assidua: et hoc ut secretius potuit, attendens illud Evangelicum, ne justitiam suam faceret coram hominibus. Erat enim liberalis ingenii, illustris solertis, avida glorie, non laudis, pudoris amans, feminei laboris patiens, in castum minime prosiliens, in rebus honestis et utilibus abunde larga, divos in presidiis, summos honores bene tractare perita. Hoc quorundam hominum invidia, quo sepe ab inferioribus fumigat ad superiores, per aliquot dies à consecratione sua impediebatur. Ceterum, si illud odium iuste an iniuste pertulerit, adhuc in questione moratur: tamen virilis proditas in femina vicit, et cum consensu et petitione principum consecrata, necessaria comes regem sequebatur. Hoc de regina interim oreriari, intermissis regalibus gestis: nunc ad cadem revertar.

*pag: 468.

De primis gestis Chuonradi Regis.

num: 429.

Ad gesta inclyti regis Chonradi stylo revoluto, quedam sunt dicenda, quo in ipsa die consecrationis suo fecerat; quo licet parva videantur, mysterio tamen quodam magnifice pollent. Sed quoniam historia publica scribitur, quo animum lectoris ad novitatem rerum, quam ad figuras verborum attentiorem facit: magis videtur congruere, ipsam rem integram persequi, quam mysticis rationibus aliquid promiscue commentari. In ipsa processione Regis tres venerunt

veneruent ante illum, cum singulis querimoniis: venuerat colonus Ecclesiæ Moguntinensis; alter pupillus fuit, et quidam vidua. Dum rex eorum causas audire cœpisset, quidam de principibus sui asserebant eum, dicentes, ne consecrationis suæ aliquam moram faceret, et mature divina officia audiret; respiciens ad episcopos, ut vicarius Christi, christianissime respondebat: si meum est regimini insistere, et id vobis constantius est, nequaquam differre, quod apte fieri valet; rectius videtur mihi, facere, quod debeo, quam quod faciendum sit, audire ab alio. Nemini vos sæpe dixisse, non auditores legis, sed factores iustificari. Si autem ad consecrationem, ut dicitis, festinandum est: tanto cautius in opere Dei gressus meos convenit mihi firmare; quanto me arduæ dignitati cognosco propinquare. Hæc dicens, in eadem statione moratus, ubi primum occurrerant illi calamitosi, passibus inmotis legem professus illis. Hinc paululum procedens, venit ante illum quidam, dicens, se expulsum esse patria omnino sine culpa; quem Rex per brachium apprehendens, super omnes circumstantes attraxit usque ad solium suum, ibique causam miseri cuidam principum suorum diligenter commendavit. Felix initium regnandi cernitur esse, ubi plus festinatur ad faciendam legem, quam ad benedicendum Regem. Abundantius erat in Rege studium miserationis, quam desiderium consecrationis: per semitam iustitiæ incedebat, quando regium honorem petebat. Poterat dicere cum psalmista: pes meus stetit in via recta. Firmavit se per gratiæ bonum, priusquam conscenderet iudicialem thronum. Timebat precipitari, si non esset æquus in altitudine regali. Satis erat laudabile, inter nova gaudia, inter delicias regis ministeria, tot pauperum clamores audire, et

eorum

eorum causas finire.
Noluit negligere, quod citò potuit regere. Renuit justitiam dilatare, quoniam illud erat regnare: distulit suam benedictionem propter regium honorem, scriptum est enim: Honor Regis iudicium diligit.

In cunctis rebus nil sit prodesse valebit,
sicut iudicium Regis ad officium.

Ita Rex in talibus causis, pro quibus maxime regia authoritas interpellari solet, hoc est, pro Ecclesiarum, viduarum, orphanorum defensione, ad reliqua regimina sibi ea dii viam preparavit.

De itinere Regis per Regna.

Omnia Regis itinera, et in quibus locis summas festivitates Natalis Domini et pascha annuatim celebraret, non nimis necessarium narrare putavi, excepto, quod id dicendum est, sicubi fuerat, siquid insigne et clarum acciderat. Si enim omnia observare vellem, ante me deserent vires, quam materies. Ad gesta illius clarissima, quanto aequus potero, veniam, in quibus tantum gloria eminet, ut* de minoribus silere nemini sit ingratum. Collecto regali comitatu, Rex Chonradus, primum per regionem Ribuariorum, usque ad locum, qui dicitur Aquisgrani palatium, pervenit, ubi publicus Thronus regalis ab antiquis regibus, et à Carolo precipue locatus, totius regni archisolium habetur. Quo sedens excellentissimè, Rem publicam ordinavit, ibique publica Placito et generali concilio habito, divina et humana iura utiliter distribuebat. Fama eius vires de virtutibus sumpsit: hodie quam hesi pro tenore pacis prestantior; pro benevolentia gratia charior; pro regali comitatu honoratior habitus est omnibus. Quanquam enim Litteras ignoraret, tamen omnem Clerum, cum amabiliter et liberaliter

* pag. 469.

num: 430.

palam

palam, tum convenienti disciplina secreto prudenter instituit. Militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum neminipo sterorum auferri sustinuit. Proterea in donariis frequentibus, quibus eos fortia audere coegit, sui similem in toto mundo non posse reperiri estimaverunt. Sufficiosum est relatu, quam munificus fuit, quam iucundus, quam constantis animi, quantum imperterriti, bonis omnibus blandus, malis severus, in cives benignus, in hostes acerbus, in rebus agendis efficax, quam maximo usui foret regno, infatigabilis erat: in brevi tantum proficiens, ut nemo dubitaret, post Caroli magni tempora aliquem regali sede dignierem non visisse, unde extat proverbium, sella Chuonradi habet ascensoria Caroli. De hoc proverbio quidam de nostris in libello, quem gallinarium vocavit, satyra quarta protulit hunc versum:

Chuonradus Caroli premit ascensoria Regis
Tacitus, indiciis nomen seu gloria Regis.

Gentium Regiones transcendit, marinos fluctus transnatavit: passim divulgabatur virtus, quo inexhausto vigore semper emanabat. Reversus Rex de Libuariis ad Saxoniam venit, ibi legem crudelissimam Saxonum (a) secundum voluntatem eorum, constanti auctoritate roboravit. Deinde à Barbaris, qui Saxoniam attingunt, tributa exigens, omne debitum fiscale recepit. Inde Baioariam et Orientalem Franciam pertransiens, ad Alemanniam pervenit. Quo transitu regna pacis fodere, et regia tuitione firmissimè cingebat.

Qualiter

(a) Qualis ista lex Saxonum fuerit crudelissima, explicabi* in Historia juris cap: VI. §. VII.

* Gottlieff Struvius

Qualiter Rex cum Italis placitavit.

Anno primi regni sui, Chuonradus Rex diem sanctum pentecostes in Constantia civitate celebravit. ibi Archiepiscopus Mediolanensis Heribertus, cum ceteris Optimatibus italicis Regi occurrebat, et effectus est suus, fidemque sibi fecit per sacramentorum et obsidum pignus, ut quando veniret cum exercitu ad subiciendum Italiam, ipse eum recipperet, et cum omnibus suis ad Dominum et Regem publice laudaret, statimque coronaret. Similiter reliqui Longobardi fecerant, propter Ticinenses, qui et alio nomine Papienses vocantur, quorum legati aderant cum muneribus et amicis, molientes, ut regem pro offensione civium placarent, quanquam id adipisci a Rege, iusta votum suum, nullo modo valerent. In qua autem re offenderint, breviter absolvam. Erat in civitate Papiensi palatium, a Theoderico Rege quondam mirro opere conditum, ac postea ab imperatore Ottone tertio nimis adornatum. Cognito autem obitu Imperatoris Henrici, antecessoris Chuonradi regis, ut mos est hominum, semper in novis rebus intemperanter se habere, statim Papienses inconsulto ad imbecillem aulam ruentes,

Ausibus illicitis fregerunt mania Regis.

Totumque palatium usque ad imum fundamenti lapidem erudebant, ne quisquam regum ulterius infra civitatem illam palatium ponere decrevisset. Ex qua audacia diu magna controversia inter Regem et Papienses habita est. Dicebant Papienses: quem offendimus? Imperatori nostro fidem et honorem usque ad terminum vitae suae servavimus: quo defuncto, cum nullum

*pag. 470.

nullum Regem haberemus, Regis nostri domum destruxisse non iure accusabimur. Contrario Rex, scio, inquit, quod domum Regis vestri non destruxistis, cum eo tempore nullum haberetis: sed domum regalem scidisse, non valetis inficiari. Si Rex periit, regnum remansit: sicut navis remanet, cuius gubernator cadit: Oder publico fuerant, non privato, iuris erant alieni, non vestri.

Alienarum autem rerum invasores regi sunt obnoxii. Ergo vos alieno rei invasores fuistis, igitur regi obnoxii estis. Huiusmodi verbis pluribus instanter objectis, legati frustra tentatam pacem relinquentes, abierunt. Reliqui vero Italici amplissimis donis à Rege honorati, in pace dimissi sunt. Rex verò, bene ordinato regno Suevio, ad castrum Turicum pervenit, ibique quosdam Italicos, qui ad Constantiam non venerant, ad dominium suum recepit. Inde post paucos dies ad Basileam civitatem pervenit

num. 431.

Turicum

Quod Rex Chuonradus Basileo Episcopum constituit.

Basilea civitas sita est in quodam trivialis confinio, id est, Burgundio, Alemannio, et Francio: ipsa verò civitas ad Burgundiam pertinet. Hanc civitatem invenit Rex vacuatam Episcopo, cuius provisor Adelbero antè tres menses, quam Rex veniret, migravit à seculo. Ibi simoniaca heresis subito apparuit, et citò evanuit. Quamdam Rex et Regina à quodam clerico, nobili viro, nomine Udalrico, qui ibi tunc Episcopus effectus est, immensam pecuniam pro Episcopatu susceperent: postea Rex in poenitentia motus, voto se obligavit, pro aliquo Episcopatu vel Abbatia nullam pecuniam amplius accipere, in quo voto penè bene permansit: sed filius eius tertius Henricus, qui postea Rex et Augustus effectus est, optime et sine omni scrupulo patrium votum expiavit, quia in omni vita sua pro omnibus dignitatibus ecclesiasticis unus obboli pretium non dicitur adhuc accepisse. Rex verò Chuonradus, colloquio regali habito

habito Basileo, et terminis Burgundiae ultra voluntatem Rudolphi, eiusdem Burgundiae regis, diligenter praeoccupatis, per Rhenum usque Saxoniam pervenit. Quare autem Rudolphi regis meminerim, breviter dicam. Iste Rudolphus, Rex Burgundiae, dum in senectute sua regnum mollius tractaret, maximam invidiam apud principes regni sui comparavit, secundum Henricum Imperatorem, filium sororis suae, in regnum invitavit, eumque post vitam suam regem Burgundiae designavit, et principes regni iurare sibi fecit. Ad quam rem commendandam, Imperator Henricus infinitam pecuniam sepe et sapissimè consumpsit, sed defuncto Imperatore Henrico, Rudolphus rex promissa sua irrita fieri voluit. Chonradus autem rex, magis augere quam minuere regnum intentus, antecessoris sui labores metere volens, Basileam sibi subiugavit, ut animadverteret, an Rex Rudolphus promissa attenderet. Quos postea Gisela regina, filia sororis ipsius regis Rudolphi, denuo pacificavit.

De Bolislao duce Sclavorum

Eodem anno, quem supra notavimus, Bolislaus Sclavigena, dux Sclavorum, insignia regalia et regium nomen in iniuriam Regis Chuonradi sibi aptavit, cuius temeritatem cita morte exinanivit. Filius autem eius Misico, similiter rebellis, fratrem suum Ottonem quoniam regis partibus favebat, in Rukkiam provinciam pepulit. Qualiter verò eiusdem Misicenis protervitatem, et cuiusdam Udalrici ducis Boëmiae perfidiam Rex Chuonradus postea compesceret, in loco suo dicam.

* pag: 471. * De inimicitia inter Regem et Ernestum ducem.

Eodem tempore, hoste pacis Diabolo suadente, Ernestus, Dux Alemanniae, Chuno, dux Francie, Fridericus, Dux

Lotharingorum, cum aliis plerisque contra Regem Chuonradum conspiraverunt, et multa molientes, multas munitiones in eum propagantes, nihil nisi calamitatem futuram assecuti sunt: quos omnes Rex Chuonradus parvi pendens, iter suum in Italiam cum copiis destinavit: sed dux Ernestus humiliter iter eius prosequutus usque Augustam Vindelicam, interventu matris suae Reginae, et fratris sui Heinrici adhuc parvuli, aliorumque principum, multum renuente Rege, iste in gratiam eius receptus est.

num: 492. Quod Rex cum exercitu Italiam rediit.

Anno incarnationis Christi MXXVI. Chuonradus Rex consilio et petitione principum Regni, filium suum Heinricum puerum Regem post se designavit, illumque Bruoni, Augustensis ecclesiae episcopo, in tutelam commendavit: et supradictis hostibus suis insidias per filium, et ceteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere coepit, in qua expeditione supradictus Ernestus, dux Alemannie, aliquantulum Regi militans, Campidonensem Abbatiam, licet contra fas et ius esset, liberam rem nisi liberaliter servire, in beneficium accepit à Rege, et ad tutandam patriam honorifice remissus est.

Quod Rex Papienses afflixerit.

Rex ingressus Italiam, per Veronam inter Mediolanum et Papiam, Vercellas venit, ibique sanctum Pascha celebravit. In ipsis diebus paschalibus Leo, eiusdem civitatis antistes, vir multum sapiens, mundum cum pace reliquit, cui Hardericus, Mediolanensis canonicus, successit. Rex vero iam totam pene Italiam planam suae ditioni subiugavit: Papiensem urbem, quon iam valde populosa fuit, subito capere non potuit: ipsos

Papienses

Papiensis in gratiam recipere noluit, quia palatium quod destruxerant in loco, ubi prius fuerat, reædificare adhuc renuebant: sed defensores eorum, Adelbertum Marchionem, et Wilhelmum et ceteros principes in iisdem terminis mirabiliter opprimere coepit; castrum eorum, nomine Urbam, deseravit; et plura alia castella, et munitiones firmissimas dissipavit. Ea tempestate grande malum factum est in Italia, propter contentiones Papiensium: multa eorum ecclesia in circuitu cum ipsis castellis incensa sunt: et populus, qui illuc confugerat, igne et gladio periit: agri vastati sunt, vineæ truncabantur: exitum et introitum Rex prohibebat: navigium abstulit: mercimonia vetuit: et ita per biennium omnes Ticinenses afflixit, donec omnia, quæ percepit, omni dilatione postposita, compleverant.

De Seditione, Quæ Ravenna facta est.

Eodem tempore Rex Chuonradus Ravennam intravit, et cum magna potestate ibi regnavit. Quadam die miseri Ravennates iterum cum exercitu Regis commovebant, et in multitudine sua confisi, exercitum de civitate expellere conati sunt: et per cuiusdam portæ angustias eos, qui foris erant, prohibebant interioribus succurrere: excitato tumultu, bellum undique coepit ingravescere. Quidam in domibus hospites suos aggressi sunt: alii in plateis pugnabant: alii portas obsidebant; plures de muris; multi de turribus alis ignavum proelium cum saxis et fudibus commiserunt. Contra Teutonici, armis et ingenio reluctantes, factis agminibus ante et retro, Ravennates circumdabant: et fervientibus gladiis iam ad invicem* facientes, eos, qui fuerant medii, mortuos aut sauciatos vel fugientes reliquerunt. Quidam Comes, nomine Oppo, optimus miles de

* pag: 472.

Baccaria

Laicaria, cum Banone civitatem exiens, eos, qui pontem superstabant, subiugavit: et plurimi eorum per illum solum de ponte precipitati, in aqua necati sunt. Rex vero Chuonradus, sicut erat in cubiculo, hanc seditionem intelligens, arma corripit, equum posceit, et egressus atrium uti vidit Ravennates bello victos ad ecclesias confugere, et undique latibula quærere, miseretur eorum, quoniam ex utraque parte sui erant, exercitum de persecutione civium revocavit, et ipse in palatium se recepit. Hanc autem facte Ravennates, qui remanserant, in cilicio, et nudis pedibus atque exertis gladiis, ut Rex eorum precipit, victis civibus, ante Regem venientes, sicut ipse precepit, omnibus modis satis faciebant. Ibi Rex Chuonradus maximam munificentiam in quendam sauciatum Teutonicum more solito ostendit, cui per eum magna parte supra talum in pugna penitus abscindebatur, cuius oculos de corio sutos Rex asseri precipiens, utramque nummis iussit implori, et super grabatum sauciati militis iuxta illam poni.

num: 433. Rex propter Calorem in Montana secessit.

Eo tempore maximus calor Italiam vexabat, ita ut animalia muta et hominum multitudo inde pereclitarentur. Rex verò Chuonradus nemini cedens, nisi soli Deo, et caloribus estivis, ultra Alim Fluvium propter opaca loca et aëris temperiem in Montana secessit, ubique ab Archiepiscopo Mediolanensi per duos menses et amplius regalem victum sumptuose habuit. Hinc decedente tempore autumnali, Italiam planam iterum peragrans, habitis consiliis, et regalibus colloquiis in opportunis locis, atque rebelles in vincula mittens, regnum pacificavit, et sic pertransiens usque ad confinium Italiæ et Burgundiæ pervenit.

Quod

Quod Legati Rudolphi Regis ad Chuonradum Regem in Italiam venerunt.

Inchoante anno nativitatis Christi MXXVII. Rex Chuonradus in Ipa regia civitate, natalem Domini celebravit: illuc Rudolphi, Regis Burgundiæ, legati venerant, promittentes illum Romam venturum ad electionem et consecrationem imperatoriam regis Chuonradi: quod Rex gratanter accepit, et remissis legatis cum muneribus, ipse Padum transiens, ad Romam tendere cœpit. Veniens autem ad Lucam civitatem, invenit eam sibi adversam, cum Reginhero, et Marchione: ibi Rex paucis Lucam moratus, post paucos dies civitatem et Marchionem in deditionem acceperat, omnemque Tusciam sibi breviter subjugavit, sicque triumphando Romanam visitat arcem.

Quod Rex Chunradus Romæ Imperator est effectus.

Igitur Rex Chuonradus, Romam ingressus eodem anno, ut supra, id est, à nativitate salvatoris MXXVII. indictione decima, à papa Joanne et universis Romanis, regio honore in urbe receptus est: et in die sancto paschæ, qui eo anno VII. Cal. Aprilis terminatur, à Romanis ad imperatorem electus, imperialem benedictionem à papa suscepit.

Cæsar et Augustus Romano nomine dictus. Quin etiam Regina Gizela imperatricis consecrationem et nomen ibidem accepit. His ita peractis, in duorum Regum præsentia, Rudolphi Regis Burgundiæ, et Chutonis Regis Angelorum, divino officio finito, Imperator, duorum regum medius, ad cubiculum suum honorifice ductus est. In ipsis diebus paschalibus* inter Romanos et Teutonicos, pro vili causa orta est seditio

* pag: 173.

magna

magna. contendebant duc pro Corio cono, cumque se invicem pugnis cedere cepissent, totus exercitus imperatoris commotus est: et armati equites et pedites ex utraque parte convenerunt. Ibi interfectus est ex nostra parte quidam juvenis, nomine Berengarius, filius Autoldi Comitis de Alemannia, miretum nobilis et bellicosus vir. Romani die resistentes, ad extremum viti fugerunt et innumerabiles ex illis perierunt. Imperator verò predictum juvenem, quoniam sibi dilectus et familiaris fuerat, iuxta tumulum Cesaris Ottonis sepeliri jussit. Postera die Romani, qui seditionem commoverant, ante imperatorem venientes, nudatis pedibus cingi cum nudis gladiis, servi cum torquibus vimineis circa collum, quasi ad suspensionem preparati, ut Imperator jussit, satisfaciebant.

Quod Imperator in Apuliam venit.

Facta igitur pace inter Romanos et Teutonicos, imperator in Apuliam processit: et Beneventanum et Capuam, ac reliquas civitates illius regionis seu vi, sive voluntaria deditione sibi subiugavit, et Nortmannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, et ad defendendos terminos regni adversus Grecorum versutias, eos principibus suis coadunavit. Cunctis rebus rite et prospere sibi cedentibus, imperator reversus, proteriens Romam, iterum Italiam pertransiit.

num: 434.

De Tyranno Thasselgaro.

Eo tempore erat in Italia quidam Tyrannus, Thasselgart dictus, qui sub tempore Heinrici Imperatoris multa facinora commisit in regno: sed per marinos recessus et alias munitiones, quas habuit ultra modum tutas, Cesaris Heinrici persecutionem evaserat. Erat enim nobilis

ditis genere, despicabilis in persona, turpis in moribus, magnus predator ecclesiarum et viduarum. Hunc Imperator Chuonradus diligentissime insequebatur, et insidias sibi ante et retro omnibus modis apparuit. Qui dum à quodam suo castro fugere vellet in aliud, à militibus Cesaris captus est. Quod dum audiret Imperator, cum magna festinantia properabat, ita, ut fere centum milliaria latina intra diem et noctem pertransiret: cogitabat enim, ut more solito iterum evaderet. Veniente verò Imperatore, presentatus est illi ipse Tyrannus. Quem cum videret, fertur dixisse Imperator: nonne est hic ille Leo, qui devoravit bestias Italie? per S: Crucem Domini, talis Leo non comedet amplius de pane meo: et hec dicens, statim cunctis principibus regni adiudicantibus, precepit illum in patibulum suspendi. Quo suspenso, per omnem illam provinciam pax et securitas, diu latentes, simul emerserant.

De Coniuratione Quorundam Teutonicorum.

Interea morante in Italia Imperatore apud Teutonicos, magna invidia, multa consilia, multe factiones adversus Imperatorem in castrum creverant. Ut enim à minoribus incipiam, et ad maiores perveniam, quidam Comes in Suevia, Welff nominatus, Otto in predis, potens in armis, et Bruno, Episcopus Augustensis, invicem confligentes, multa mala in predis et incendiis fecerunt in regno. Ad extremum predictus Comes ipsam Augustam urbem, sed ornatum Episcopi despoliavit, et totam civitatem vastavit: quod postea, cogente Imperatore, totum restituit, et Episcopo emendavit. Chuno Dux Wormatiensis, patruelis Imperatoris, nec fidus Imperatori, nec tamen multum nocius illi, interim quietus manebat. Friderius

cius Dux Lothariningorum, pariter prodicti Chuonradi Imperatori illimicando morte propria preventus est. Ernestus Dux Alemannie, privignus Imperatoris Chuonradi, nuper adeo beneficiis et muneribus suo Cimatus, discedens iterum, instigante Diabolo, rebellionem molebatur: et consilio quorundam militum suorum Alsatiam provinciam vastavit, et Castella Hugonis Comitis, qui erat consanguineus Imperatoris, desolavit. Deinde magno exercitu juvenum collecto, Burgundiam invasit: et ultra castrum, solo durum, quandam insulam aggere et vallo firmare cepit: sed Rudolphus dux Burgundionum veritus hostem Imperatoris recipere, ad incepto illum prohibuit. Inde reversus supra Turicum quoddam castrum munivit, et Angiensem Ecclesiam necnon Abbatiam S. Galli nimium distrahendo, non mediocre damnum patrie intulit: sic posthabita Lege, et justitia, usque ad Imperatoris reditum iniquis conatibus insistebat.

*pagina 474.

forsan Augiensem

Ubi Dux Ernestus se denuo reddidit.

Pace per totam Italiam confirmata, Imperator Chuonradus prospero reditu in Alemanniam venit: et in Augusta Vindelica colloquium familiare cum suis fidelibus tenens, de proditoribus patrie tractare cepit; inde ad Oppidum, quod Ulma vocatur, veniens, colloquium publice conditum illic habuit. Huc Dux Ernestus non voto supplice venit, confisus in multitudine militum, quos optimos habuit, ut vel secundum libitum cum Cesare se pacaret, vel inde per potestatem rediret: et habito colloquio cum suis primum monuit eos fidei sacramentaliter promisso: deinde hortabatur eos, ne illum desererent, ne honorem suum perderent, non decere eos immemores fore in historiis patrum semper Alemannos cono fidei et stabilitatis in dominos testimonium habere: A fi sibi fidi

Ut num: 435.

fidi forent, illis promia, posteris eorum gloriam et honorem esse futurum. Talia dicenti duo Comites, Friderius et Anselmus, pro ceteris respondebant, hoc modo: Volumus inficiari, quin vobis fidem firmiter promitteremus contra omnes, praeter eum, qui nos vobis dedit: si servi essemus Regis et Imperatoris nostri, et ab eo iure vestro mancipati, non nobis liceret à vobis separari. Nunc verò, cum liberi simus, et libertatis nostrae summum Defensorem, integra Legem et Imperatorem nostrum habeamus, ibi illum deserimus, libertatem amittimus, quam nemo donat, ut ait quidam, nisi cum vita, simul amittit. Quod cum ita sit, quicquid honesti et iusti à nobis exquiritis, in hoc parere volumus vobis: si autem contra hoc vultis, illuc revertemur liberaliter, unde ad vos venimus conditionaliter. His auditis, Dux, cum se intellexisset à suis dimitti, sine omni pactione Imperatori se reddidit: quem Cesar in Saxoniam exulari fecit super quandam ruppem, quae Gibichenstein dicitur, ut ibi castigatus à rebellione ulterius desineret.

Quod Rex Burgundiae Imperatori occurrebat Basileae.

Imperator pertransiens Alemanniam, cunctos, qui sibi rebelles fuerant, in deditionem recepit, et munitiones eorum deiecit: et perveniens usque ad Basileam Rudolphum, Regem Burgundiae, alloquitur: qui illi sibi occurrebat, extra urbem iuxta vicum, qui Nittenha dicitur: et nobili familiari colloquio, Imperator Regem secum duxit in urbem. Confirmata inter eos pace, Gisela Imperatrice hoc omnia meditante, regnoque Burgundiae Imperatori tradito eodem pacto, quemadmodum prius Antecessori suo Heinrico Imperatori datum fuerat, Rex iterum donis ampliatus, cum suis reversus est in Burgundiam. Imperator verò descendens per Rhenum, in Franciam venit, eique Dux Chuono, patruelis eius, prius rebellis, se reddidit: quem Imperator in liberis custodiis aliquantulum

tutum castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit: totamque in honorem suam sibi restituit. Paulo post Adelbero, Dux Histrianorum sive Carintanorum, reus majestatis, victus ab Imperatore, cum Filiis suis *exulatus est: et Ducatum eius iste Chuono ab Imperatore suscepit: quem ducatum pater eiusdem Chuononis diu diu habuisse perhibetur. Ita Dux Chuno fidus et bene militans Imperatori et Filio suo Henrico Regi, quousque vixerat, permansit. *pagina = 415.

De Legatione Episcopi Argentinensis.

Eodem tempore Werinharius Argentino civitatis Episcopus, ab Imperatore Legatus Constantinopolim mittitur. Qui dum causa orationis Hierosolymam pergere se fingeret, ut putavimus, judicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus est. Nam dum magnum Comitatum hominum, majorem quoque multorum animalium, equorum, boum, ovium, porcorum, multaque deliciis secularis ultra modum secum educeret, perveniens in Ungariam, à rege Stephano contradicta est sibi via, quod eo tempore nulli Oratorum accidit. Inde reversus per Baiariam, cum omni comitatu suo pergens Italiam intravit: et multam circa fines Verono moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam mare Adriaticum ingressus, navigio calamitoso constantinopolim pervenit. Cumque ab Imperatore Graecorum honorifice susceptus esset, secumque satis familiariter conversaretur, desiderare cepit, ut Imperatoris auxilio Hierosolymam adiret: quo desiderio, semper aliquare interedente, nunquam potiri valuit. Sequenti verò tempore obiit, et sepultus est in eadem urbe, et Episcopatum eius Wichelmus, Argentinensis canonicus, suscepit. Legationis tamen causam postea Imperator Graecorum aureis litteris Imperatori Chuonrado rescripsit.

num: 436.

Quod

Quod Imperator Filium suum Heinricum Regem consecrari fecit.

Anno Domini MXXVIII. indictione XI Imperator Chuonradus filium suum Heinricum, magni ingenii et bone indolis puerum, etate XI. annorum, principibus regni cum tota multitudine populi id precantibus, à Pigrino Archiepiscopo coloniensi, in regalem apicem apud Aquisgrani palatium sublimari fecerat. Tunc in principali Dominica paschè consecratus et coronatus, paschalem Cotitiam triplicavit. Cùm dum in superioribus annis duas coronas, id est, patris et Matris suæ mundus generaretur, nunc tertia addita,

Ipse pacis crevit, quam Rex cum Cesare fecit: presertim cum is coronatus esset, cuius etas vita diuturna satis digna fuerat. Deinde diversa regna peragrantes, Cesar per se, Rex sub Tutore et Rectore Augustensi Episcopo Bruneone, cunctos rebelles domabant, et fœdera pacis ubique feliciter firmabant.

De Obitu Episcopi Augustensis.

Anno sequenti Imperator in Baioaria Ratisponæ pascha celebravit: ibi Bruno, Episcopus Augustensis, defunctus est, cuius corpus Imperatrix prosequuta, cum filio Heinrico rege ad Augustam sedem suam honorifice sepeliri fecerunt: nobilis enim valde fuit ipse Episcopus Bruno. Cùm dum esset Frater Heinrici Imperatoris, filius erat materterè Gisele Imperatricis, soror verò eiusdem Episcopi nupta Stephano, regi Ungarorum, causa fuit Christianitatis, primum in gente pannonica. Episcopatum verò Augustensem Oberhardus suscepit.

Qualiter

Qualiter Dux Ernestus Ducatum accepit et statim amisit.

Anno Domini **MXXX** imperator Chuonradus apud Ingelnheim pascha celebravit. Ibi Ernestus supra memoratus, dux Alemannie, à custodia solutus, ducatum recepit, eo tenore, ut Wehelonem militem suum, qui multis factionibus* regnum turbaverat, quasi hostem reipublicæ cum omnibus suis persequeretur, atque se facturum cum juramento confirmaret. Quod cum rex facere nollet, hostis publicus imperatoris diiudicatus est, et penitus ducatu amisso, cum paucis inde recessit. Imperator verò ducatum Alemannie Hermanno juniori, fratri eiusdem Ernesti, dedit, eumque Warmanno, Constantiensi Episcopo, commendavit. Imperator verò communi consilio omnium principum regni, eundem Ernestum et eamdem justitiæ et paci reluctantes ab Episcopis excommunicari fecit, eorumque res publicari jussit. Ipsa imperatrix Gisela (quod dictu est mirabile) sed dictu laudabile, filium in consultum sapienti marito proponens, publicam fidem dedit omnibus, quicquid illi accidisset, nullam ultionem, neque malum animum pro hac re se reddituram fore.

*pagina 470.

Quod Imperator super Ungaros cum exercitu venit.

Eodem tempore multæ dissensiones inter gentem pannonicam et Baioarios, culpa tamen Baioariorum facta sunt: ita ut Stephanus, rex Ungarorum, multas incursiones et prædas in regno Noricorum, id est, Baioariorum faceret: unde commotus imperator Chuonradus, cum grandi exercitu super Ungaros venit. Rex autem Stephanus, minime sufficiens adversus imperatorem, orationibus et jejuniis in universo regno suo indictis, præsidium Domini tantumodo flagitabat. Imperator tam munitum

num: 1037.

regnum

regnum fluviis et sylvis intrare non valens, multis tamen predationibus, incendiis circa terminos regni iniuriam suam satis ulciscens, reversus est: volens tempore opportuniori cepta sua peragere. Sed Filius suus, Rex Heinricus adhuc puerulus, Gigelberto Frisingensi episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unice consilio principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis annuit: iuste et sapienter agens, qui regem iniuste iniuriatum, altro petentem gratiam, recepit in amicitiam.

Quod Dux Ernestus auxilium petiit ab Odone Comite.

Interea dum hoc agerentur, profatus Ernestus, ducatus dignitate privatus, multa cogitans, multa molliens, qualiter imperatori resisteret, magnos labores in vanum consumpsit. Qui, assumpto Vichelone milite suo, cum aliis paucis perexit in Franciam latinam ad Odonem Comitem, propinquum suum. Nam mater Odonis et mater Gisele imperatricis fuerant sorores. A quo dum consilium et auxilium peteret, sive nollet, sive non auderet, nihil solatii contra imperatorem sibi dedit.

Qualiter Dux Ernestus periit.

Dux verò Ernestus reversus, iterum in Alemanniam venit, ibique in quadam eremo, quo magna sylva dicitur, in locis tutissimis moratus, preda miserabili per aliquod tempus vivebat. Ad extremum, dum à militia Cesaris undique coarctaretur, quidam, qui imperatori favebant, equos, quos dux, et omnes sui optimos habebant, per insidias in pascuis exceperant. Dux verò, perditis equis, in quibus confidebat, nihil pensi plus habens in tanta perturbatione, quid ageret, dubitabat: Collectis tamen undique quaesitis quibuscunque equis, quos facere poterat, cum omnibus, quos tunc habuit, egressus est sylva, secum deliberans, melius esse honeste mori, quam turpiter vivere. Cumque pervenissent in sal-

tus

Sara
dit Coes

tus sylvarum ad illam regionem Alemannie, quo Sara dicitur: viderunt castra deserta, quo priori nocte hostes occupaverant; confestim perceperunt sibi insidias parari. Nam Manegoldus Comes, miles imperatoris, de Augensi *Abbatia magnum beneficium habens ab imperatore, et Uuarmanno, Constantiensi episcopo, qui tunc vice ducis Heremanni Alemanniam gubernabat, presidio locatus fuerat, ne dux Ernestus predas aut incendia faceret in regione. Statim dux Ernestus et Persecutores sui nimium alacres effecti sunt, existimantes injurias suas citò ulturas fore in hostibus: arreptoque itinere, suos insecutores insequi coperunt. Eadem intentione Manegoldus Comes, et qui cum illo fuerant, huc illuc progredientes, itinera ducis diligenter observabant. Hac occasione utrinque collata, ita coniuncti sunt, ut se invicem videre et affari possent. Erant autem ex parte Manegoldi multò plures milites, quàm de parte ducis.

Nec mora, congressi pugnabant acriter omnes. Ex parte ducis vires, ferocitate, audacia incitati, ex altera parte pro gloria, pro remuneratione adducti. Hi, qui cum duce fuerant, cum nihil de vita cogitarent, omnes ad interitum properabant. Dux verò, cum nemini parceret in hoc prelio, neminem sibi parcentem invenit, et à pluribus vulneratus, postremo interfectus, concubuit. Ibi cecidit † Uecilo Comes, miles ducis, cuius causa hoc omnia acciderant: Adelbertus et Werin, nobiles viri, et alii multi interfecti sunt ibi. Ex altera parte ipse Manegoldus Comes, auctor huius congressionis, cecidit, et plures alii secum. Corpus Ernesti ducis in Constantiam delatum, prius accepta indulgentia à potestate Episcopali, pro excommunicatione, in ecclesia S. Mariæ sepultum est. Corpus Manegoldi in Augia subterratum est.

Accidit hoc bellum semper miserabile multum, pertur dixisse:

Raro canes rabidi foturam multiplicabant.

Rudolphus

ad Wilhelco.

* pagina 477.

Rudolphus Rex Burgundiæ obiit, et Odo † regnum eius invasit.

num. 438.

al. Udo.

Anno Dom: MXXXII. Rudolphus rex Burgundiæ, avunculus Giselæ Imperatricis, obiit in pace, cuius regnum Comes † Odo Francigena, filius sororis suæ, invasit al. Udo. et quosdam castra munitissima sive civitates, seu dolo, seu bello ceperat: nec se regem ausus est facere, nec tamen regnum voluit dimittere. referebat quidam, illum dixisse sæpe, quod nunquam rex fieri, sed tamen semper Magister esse regis vellet. Eo modo magnam partem Burgundiæ distraxit, licet regnum Burgundiæ Cunrado imperatori, et filio eius Henrico regi, à Rudolpho rege, postquam, ipse superstes non esset, perjuriarandum iameludum confirmatum esset. Sed dum Odo Comes hæc in Burgundia faceret, Cunradus Imperator in Selavonia cum armis fuerat. Quid ibi ageret, vel qualiter postea Odonem expulisset de Burgundia, consequenter dicam. Supra dictus Boleslaus, dux Bolanorum, mortuus reliquit duos filios, Misiconem, et Ottonem. Misico, dum fratrem suum Ottonem persequeretur, expulerat eum in Russiam. dum ibi aliquantum tempus miserabiliter viveret, cœpit rogare gratiam Imperatoris Cunradi, ut, ipso imperante et iuvante, restitueretur patriæ suæ. Quod dum imperator facere vellet, decrevit, ut ipse cum copiis et una parte, ex altera frater Otto Misiconem aggrederentur. Hunc impetum Misico ferre non valens, fugit in Böemiam ad Udalricum ducem, cui tunc temporis Imperator iratus fuerat. sed ille, ut sic placaret imperatorem, voluit sibi reddere Misiconem: quod pactum scleratum tenuit Cæsar, dicens, se nolle inimicum emere ab inimico. Otto restitutus patriæ, et dux factus à Cæsare, dum post aliquod tempus minus caute ageret, à quodam familiari suo clam interfectus est. Tunc Misico omnibus modis quærebat gratiam imperatricis Giselæ, et reliquorum Principum, et mereretur redire ad gratiam

tiam imperatoris. Cesar misericordia motus, dedit sibi veniam, et divisa provincia Boianorum in tres partes, Misiconem fecit Tetrarcham: reliquas duas duobus aliis commendavit: sei imminuta potestate, minor facta est temeritas. Defunito Misicone, Casimirus, filius eius, fideliter serviebat hucusque imperatoribus nostris.

*Quod Imperator cum Filio suo Henrico Rege Burgundiam adiit.

*pagina 478.

Anno Domini MXXXIII. Imperator Cunradus, cum filio suo, rege Henrico, natalem domini in Argentina civitate celebravit. Inde collecto exercitu, per Solodorum Burgundiam intravit, et veniens ad Paterniacum monasterium in purificatione sancte Marie, à maioribus et minoribus regni, ad regendam Burgundiam electus est: et in ipsa die pro rege coronatus est. Deinde quoddam castellum, quod Odo invaserat, obsedit, sed propter nimiam asperitatem hyemis, quo tunc fuerat, valde impediebatur. De qua nimietate frigoris quidam de nostris centenos versus fecit, quos imperatori presentavit; in quibus tam miranda res dicuntur, quod equi in castris circa castellum Murat, si pedes infixissent terre, per teporem diei aliquid moliti, per noctem ita gelati constringerentur, ut nequaquam, nisi securibus et fudibus de terra in circuitu gelata evelli potuissent. Quidam verò, qui non habuit adiutorium, equum proprium ita horrentem interfecit, et corium de cruribus sursum abstulit: reliquum terre gelato infixum dimisit. Homines quoque multum confundebantur hoc algore: erat enim una facies juvenum et senum: omnes erant die et nocte cani et barbati propter horridum rigorem glaciei: licet plures juvenes et imberbes fuissent ibi: et tamen

Vid. hoc causa fuit, quod Cesar bella reliquit.

Turcium. Imperator reversus ad Turcium castrum pervenit: ibi plures Burgundiorum, regina Burgundie, iam vidua, et Comes Hupertus, et alii, qui propter insidias Odonis in Burgundia ad imperatorem venire nequiverunt, per Italiam

Italiam pergentes, occurrebant sibi: et effecti sui, fide promissa per sacramentum sibi et filio suo Henrico regi, mirifice donati redierunt.

Quod Imperator super Odonem cum exercitu venit.

num: 409.

Eiusdem anni æstate, imperator cum exercitu suo super Odonem Comitem in Galliam Francorum venit, dicens: si Odo in Burgundia res alienas iniuste quæreret, de suo proprio, iuvante Deo, aliquid perdere deberet. Tunc in regno Henrici, regis Francorum, in prediis tamen et beneficiis Odonis tantas devastationes et incendia fecit imperator, ut ipse Odo necessitate compulsus humiliter veniens, quæreret veniam, promittens, Burgundiam dimittere, et secundum iussionem illius, sibi satisfacere. Sic imperator cum suo honore, et Odonis damno reversus est.

Qualiter Imperator Odonem expulit de Burgundia.

Anno Domini MXXXIV. Imperator in Baioaria Ratisbone sanctum pascha celebravit. Huius anni æstate, dum Odo profatus promissa non attenderet, sed adhuc quandam partem Burgundiæ, quam iniuste invaserat, obtineret: imperator Cunradus, expeditis Teutonicis et Italis, Burgundiam acute adiit: Teutones ex una parte, et altera Archiepiscopus Mediolanensis, Heribertus, et cæteri Italici, ductu Huperti, Comitis de Burgundia, usque Rhodanum fluvium convenerunt. Augustus veniens ad Genevensem civitatem, Geroldum, principem regionis illius, et Archiepiscopum Lugdunensem, atque alios quam plures subegit: et reversus castrum Marat cum fortissimis militibus Odonis munitum obsidens, vi cepit, et quos intus invenerat, captivos duxit. Cæteri fautores Odonis hoc audientes, solo timore Cesaris fugerunt: quos persequens Cesar, omnino exterminavit de regno, et acceptis de principibus Burgundiæ multis obsidibus, redit

dùt per Alsatiam ad imperatricem. Cùm dum ille in Burgundiam pergeret, imperatrix* secuta est eum usque Basileam. Inde reversa ad Argentinam civitatem, expectavit reditum imperatoris. Eo tempore filia imperatoris Cunradi et Gisele imperatricis Mathilda, nimio formositatis puella, Heinrico regi Francorum desponsata, obiit Wormatiæ, ibique sepulta est.

*papina 179.

Mathilda filia Salici Cæsaris

Quod Rex Heinricus Sclavos subiugavit.

Interea dum hæc, quæ superius dicta sunt, imperator in Burgundia faceret, filius suus Heinricus Rex, licet in puerilibus annis, non segnius reipublicæ consuluit in Bohemia, et in cæteris regionibus Sclavorum: ubi et Udalricum ducem Bohemiæ, et reliquos quàm plures Cæsari adversantes, strenuè subiugavit, et redeunti patri occurrens, de duplici victoria duplex gaudium populis effecerat. Deinde collectis copiis de Saxonia super eos, qui Lutizi (id. Lintizi) vocantur, quique olim semichristiani, nunc per apostaticam negligentiam omnino sunt pagani, imperator venit: ibique conflictum implacabilem miraboliter diremit. Inter Saxones enim et paganos fiebant ea tempestate multæ dissensiones et incursiones, cumque Cæsar veniret, cœpit quærere, ex qua parte pax, quæ diu inviolata inter eos fuerat, prius corrumperetur. Dicebant pagani, à Saxonibus pacem primitus confundi, id per duellum, si Cæsar præciperet, probari. Contrà Saxones, ad repellendos paganos similiter singulare certamen, quamvis iniuste contenderent, imperatori spondebant. Imperator, consulentibus principibus suis, licet non satis caute ageret, hanc rem duello diiudicari inter eos permisit. Et statim duo pugiles congressi sunt uterque à suis electus. Christianus in sola fide, quæ sine operibus iustitiæ mortua est, confidens, et non diligenter attendens, quod Deus, qui veritas est, omnia in vero iudicio disponit, qui solem suum oriri super

bones

bonos et malos facit, qui pluit super iustos et iniustos, audacter pugnare coepit. Paganus autem solam conscientiam veritatis, pro qua dimicabat, pro oculis habens, acriter resistebat. Postremò Christianus à pagano vulneratus cecidit. Ea qua re pagani in tantam elationem et audaciam venerunt, ut, nisi imperator adesset, continuo irruerent super Christianos: sed imperator, ad compescendas incursiones eorum, construxit castrum Virbinam, in quo praesidia militum locabat, et principes Saxoniae, ut unanimiter resisterent paganis, sacramento et imperiali iussione constringebat, deinde reversus est in Franciam. Sequenti verò anno idem castrum à paganis dolo captum est, et plures nostrorum, qui in eo erant, ab eis occisi sunt. Hinc commotus imperator, iterum cum copiis usque Albim fluvium venit. Sed cum pagani transitum prohiberent, imperator per aliud vadum fluvii partem exercitus latenter transmisit: et ita fugatis hostibus, ipse per ripam liberam regionem ingrediens, immensis devastationibus et incendiis, ubique nisi in locis inexpugnabilibus sit humiliavit eos, ut censum abantiquis imperatoribus propositum, et iam auctum Cunrado imperatori postea persolverent. Nullum enim laboravit Cunradus imperator prius, et tum in gente Sclavorum: unde quidam de nostris quoddam breviarium versifice fecit, quod postea imperatori praesentavit. Ibi legitur, qualiter imperator interdum in paludibus usque femora stabat, pugnans ipse, et exhortans milites, ut pugnarent, et victis paganis, nimis acriter trucidabat eos, pro quadam superstitione illorum nefandissima. Nam fertur, ut quodam tempore effigiem ligneam crucifixi Domini nostri Jesu Christi scelerato ludibrio habuissent pagani, et in eam spuerent, atque colaphis caederent: ad extremum oculos eruebant, manus et pedes truncabant. Hoc ulciscens imperator, de captis paganis maximam multitudinem pro una effigie Christi simili modo truncavit, et varia morte delevit.

num. 440.

vit. Idcirco in eisdem versibus Cæsar altor fidei vocatur et Romanis principibus Tito et Vespasiano, comparatus, qui in ultionem Domini triginta Judæos pro uno nummo commutaverant, cum Judæi Christum* pro totidem denariis vendiderint. Reversus imperator, quicquid obstaculi in regno invenit, imperiose diruit. Eodem anno Adelbero, dux Carantanorum, imperatoris gratiam perdens, ducatum amisit, et in exilium missus est.

*pagina 480.

De Conjuratione Italorum.

Item eodem tempore magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiæ, propter conjurationes, quas fecerat populus contra principes. Conjuraverant enim omnes Valvasores Italiæ, et gregarii milites adversus dominos suos, et omnes minores contra maiores, ut non paterentur aliquid inuetum sibi accidere à dominis suis, suppra voluntatem ipsorum, dicentes: Si imperator eorum nollet venire, ipsi per se legem sibimet facerent. Hoc cum nunciatum esset imperatori, fertur dixisse: Si Italia modò sturit legem,

Concedente Deo bene legibus hanc satiabo.

Et preparans se anno sequenti, Italiam cum copiis intravit. Interea principes Italici, male concepta conjurationem periculum generare posse scientes, convenerunt simul cum minoribus, et prius exhortationibus et consiliis hoc ceans malum destruere conabantur: cum hoc non proderet, tentabant bello superare, sed in illo prelio minorum incredibilis multitudo sola impressione Caterearum cecit. Ibi Episcopus Astensis indigna statione periit, ceteri fugerunt, et nimium confusi adventum imperatoris egre expectabant.

Quod Rex Heinricus filiam Cunitonis Regis in coniugium duxerit.

al: Chuonis.

Anno domini MXXXVI. Heinricus rex, filius Imperatoris, Cnitonis Regis Anglorum filiam, Domine Chunelindam, pro Regina consecratam, regalibus nuptiis in coniugium duxit. Eodem anno, ut dictum est, imperator Canriadus cum filio Henrico rege Italiam intravit cum exercitu, et celebravit natalem Domini Veronæ, anno

Dominicæ

Dominicæ incarnationis MXXXVII. Inde ad Mediolanum veniens, ab Heriberto Archiepiscopo magnifice receptus est in Ecclesia sancti Ambrosii. In ipsa die Cinerum (cuius consilio?) ipse gravis tumultus factus est populi Mediolanensis, quærentis ab imperatore, si vellet facere conjurationi eorum. Unde commotus imperator, præcepit, ut omnes in urbem papiensem ad generale colloquium venirent. Quod dum factum esset, cunctis reclamantibus legem fecit imperator. In ipso placito quidam Hugo comes, et alii quam plures Italici appellabant Archiepiscopum Mediolanensem pro multis causis, quibus eos offenderat. Imperator verò, vocato archiepiscopo præcepit, ut satisfaceret omnibus. Quod dum Archiepiscopus renueret, sensit imperator, omnem illam conjurationem Italiæ ipsius consilio factam esse. Et mox, comprehenso illo, retinuit in sua potestate. Deinde commendavit eum in custodiam Oboni, patriarcho Aquilegiensi, et Churoni duci Carentanorum, qui abeis ductus est cum imperatore usque Placentinam civitatem. Quadam nocte, quidam de familiaribus Archiepiscopi collocavit se, vice ipsius, in lecto, quo ipse iacere solebat, et superdutto cooperto caput, ut ita falleret custodes. Archiepiscopus, adducto sibi equo à quodam, fugit, et veniens Mediolanum, à suis cum magno gaudio susceptus est. Deinde, quicquid poterat moliri contra imperatorem, non protermisit. Imperator quoque castella sibi adversa destruxit, et iniquas conjurationes Italiæ, iusta lege reducta, extirpavit, et veniens Ravennam, sanctum pascha ibi celebravit. Eodem anno, in Italia tres Episcopi, Vercellensis, Cremonensis, Placentinus, apud imperatorem accusati sunt: quos imperator comprehensos exulari fecit. Quo res displicuit multis, sacerdotes Christi, sine judicio damnari. Referebant nobis quidam, piissimum nostrum Henricum regem, filium imperatoris, salva reverentia patris, dam detestari præsumptionem Cæsaris in Archiepiscopum Mediolanensem, atque in istos tres: et merito, quia, sicut post judicialem sententiam

num: 441.

pag: 481.

sententiam depositionis nullus honor exhibendus est, si ante judicium magna reverentia sacerdotibus debetur. Eodem anno profatus Comes, Odo de Francia, in regno imperatoris quoddam loca invadens, à Gozelone, duce Lotharingorum, et filio suo Godefrido, et Gerhardo comite atque à militia Episcopi Metensis, pugna commissa cum eo, fugiendo interfectus est, et vexillum eius, Cesari in Italiam allatum, hostem interemptum testabatur. Eo tempore imperator Mediolanensis nimium afflixit: et quoniam urbem, antiquo opere et maxima multitudine munitam, capere non poterat, quod in circuitu fuerat, igne et gladio consumpsit.

De Miraculo, Quod accidit in die pentecostes.

Eodem tempore, dum imperator quoddam castrum sancti Ambrosii, quod curbitum dicitur, iuxta Mediolanum obsideret: accidit ibi, quod plures pro miraculo habuerunt. In Dominica sancta pentecostes, ante horam tertiam, de magna serenitate coeli subito fulmina cum tonitruis ceperunt tanto fortitudinis, ut multa pars hominum et equorum periret in castris. Quidam pro tanto terrore in excessum mentis venerunt, ita ut post aliquos menses vix illis sensus redierit. Venientes autem, qui extra castra fuerant, nec vidisse nec audisse aliquid tale dicebant. Eo tempore Imperator archiepiscopatum Mediolanensem Ambrosio Mediolanensi canonico, dedit, Cui illi ista donatio parum profuisset. Nam cives Mediolanenses, quicquid habuit idem Ambrosius in illorum territorio, demoliebantur, et suum archiepiscopum Heribertum usque obitum eius cum honore retinuerant, sed tamen cum gratia Henrici regis, filii imperatoris, quod plenius in gestis regis, si deus voluerit, exequar. Eodem tempore Papa Cremona occurrebat imperatori, et honorifice receptus et dimissus, Romam reversus est. Imperator dispersio exercitu per regiones, ipse ad montuosa loca

seasit

secessit propter obsigerium, quoniam ea æstate magnus calor imminebat.

De seditione, quæ facta est in Parma.

Eodem anno, hyberno tempore collecto exercitu, imperator transeundo Padum ad Parmam civitatem venit, ibi natalem domini celebravit, inchoante anno Dominicæ incarnationis MXXXVIII. In ipsa die nativitatis Domini inter teutonicos et cives parmenses magna seditio orta est; et quidam bene valens vir Conradus, insertor ciborum imperatoris, cum aliis interfectus est. Unde commotus exercitus, gladiis et igne cives aggrediter, et imperator post incendium magnam partem murorum destrui præcepit, ut eorum præsumptionem non fuisse inultam hæc ruina aliis civitatibus indicaret. Deinde Imperator transeundo Apenninum montem, in Apuliam tendebat. Imperatrix verò Romam, orandi gratia, venit, inde ad Imperatorem revertitur. Imperator autem ad terminos imperii sui perveniens, Teciam, Beneventanum et Capuam, aliasque civitates Apulie lege et justitia stabilivit: dissensiones, quæ erant inter eorum mannos extraneos et indigenas, sola jussione sedavit: et cunctis offensionibus de regno sublatis feliciter reversus, Viennam venit. Ibi dispositis obsidionibus, et insidiis adversus Mediolanenses, qui adhuc sibi rebelles fuerant, cæterisque rebus ad voluntatem suam per regnum compositis, patriam revisere decrevit. Eo tempore propter nimium calorem nimia contagio pestilentia exercitum invasit: neque ætatibus, neque personis pepercit. Ibi regina Chunelindis, conjux Henrici regis. XV. Calendas Augusti quasi in limine vitæ, ingressu mortis, occubuit, relinquens tantamodo solam filiolam de rege, quam postea pater Christo desponsans, in Abbatissam consecrari fecit. Filius imperatricis Hermannus, dux Alemannorum, juvenis bonæ indolis, et in rebus bellicis strenuus

num: 442.

* pag: 482.

Filia Henrici Regis

strenuus, eadem peste gravatus, inter manus peritissimorum medicorum V. Calendas Augusti non sibi magno imperii detrimento obiit. Eodem mense atque sequenti maxima multitudo exercitus, morbo contracta, periit. Corpus reginae Tenorum et delicatum aromatibus conditum, cum Rege et imperatrice ductum ad Germaniam, in proprietaria Lutburg sepultum est. De Duce Matatum fuerat, ut in Constantiam, civitatem Alemanniae, duceretur: sed calore nimio obstante, in Tridento sepeliitur.

Quod Imperator filio suo Regi Burgundiam tradidit.

Eodem anno Stephanus, Rex Ungarorum, obiit, relinquens regnum Petro, filio sororis suae. Reversus Imperator in Baiariam, aegrotantem exercitum medicis et consiliis reficiebat; et dum omne regnum serenitate pacis invenisset illustratum, eiusdem anni autumno Burgundiam adiit, et convocatis cunctis principibus regni, generale colloquium habuit cum eis: et diu desuetam atque deletam legem tunc primum Burgundiam praelibare fecerat. Transactis tribus diebus generalis colloquii, quarta die, primatibus regni cum universo populo laudantibus, atque rogantibus, imperator filio suo Heinrico regi regnum Burgundiae tradidit, eique fidelitatem denuo iurare fecit. Quem episcopi cum ceteris principibus in ecclesiam sancti Stephani, quae pro capella regis habetur, deducentes, hymnis et canticis Deum laudabant, populo clamante, et dicente, quod pax pacem generaret, si rex cum Caesare regnaret. Reversus Imperator per Basileam descendens, Franciam orientalem et Saxoniam, atque Frisiam,

pacem

pacem firmando legem faciendo revisit.

De obitu Imperatoris.

Anno Dominice incarnationis MXXXIX. dum Imperator Conradus iam in filio suo rege Heinrico regni rem, imperii autem spem bene locatam confideret, eumque pene omnia per regnum ad libitum suum inclinata videret: ipso anno diem sanctum pentecostes apud Traiectum, civitatem Frisiae, celebravit, ubi cum sacratissimam solennitatem venerando, magnifice cum filio et imperatrice coronatus procederet ad mensam, mediocri dolore correptus est, tamen ne tanto diei lotitiam perturbaret, dolorem dissimulavit. sequenti die, cum morbus lethalis vehementer insisteret, imperatricem cum filio rege ad prandium edire iubet de cubiculo. interea Imperator finem sibi imminere sentiens, sicut in vita sanus, in actu semper constans et strenuus fuit, ita in extremis nihil segnioris fidei permansit: et vocatis episcopis, corpus et sanguinem Domini, et crucem sanctam cum reliquiis sanctorum apportari fecerat: et erigens se cum lacrymis valde affectuosis, in confessione pura et oratione intenta, sanctorum communionem ad peccatorum remissionem devotissime accipiens, imperatrici et filio regi Henrico pro fida monita valediens, ex hac vita migravit XV. Nonas Junij, feria II. indictione VII. Viscera imperatoris apud Traiectum condita sunt, et rex locum sepulturae denis et prediis ampliavit. Reliquum corpus ab imperatrice et filio rege, ut optime excogitari poterat, involutum et reconditum, usque Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta coenobia illius civitatis atque Moguntiae seu Wormatiae, sive illorum quae in medio fuerant, omni populo sequente et orante deportatum, incredibili oratione et ~~[illegible]~~ magnis eleemosynis pro redemptione animae factis, tricesima octava, qua obdormivit, die, in Spira civitate, quam ipse

num: 1143.

al: multis

ipse Imperator, sicut et postea filius, multum sublimavit, honorifice sepultus est. Et iam gratiam Cunrado* imperatori Deus addidit, quod non vidimus, neque audivimus tantas Lamentationes universorum, tot orationes, tales eleemosynas alicui imperatorum corpore insepulto factas, et sicut percepimus, referente episcopo Henrico Lausanensi, cum ceteris Burgundionibus, qui illum de obitu usque sepulturam prosecuti sunt, filius Cesaris, Heinricus dux ad omnes introitus Ecclesiarum* et ad extremum, ad sepulturam humeros suos corpori patris ultra modum humili devotione, supposuit: et non solum, quod filius patri in Charitate perfecta, sed quod servus domino in timore sancto debet, hoc totum dux patri defuncto studiosissime exhibuit. Hoc de imperatoris Cunradi gestis breviter scripsimus, de quibus, si quisquam intactum omnino dimisimus, hoc inauditum esse à nobis credatur. Si autem aliquid strictius, quam rerum magnitudo sic extenderet, dictum est, illud propter commoditatem legentis factum esse, veraciter attestabimur. Pro quo quidam de nostris Cantilenam Lamentationum fecerat, quam postea filio suo, Henrico regi, in Constantia civitate presentavit, quas Lamentationes hic, quoniam eiusdem operis sunt, inserere non incongruum putavimus.

* pagina 983.

Versus pro obitu Cunradi imperatoris.

I.

Qui vocem habet serenam, hanc proferat Cantilenam
De anno Lamentabili et damno inestimabili

Luget

Luget (a) omnis homo, forinsecus et in domo, (a)
Suspirat populus Dominum, vigilando per somnum,
Rex Deus, vivos tuere, et defunctis miserere.

II.

Anno quoque millesimo nono et (b) trigesimo (b)
A Christi nativitate nobilitas cuit late
Et cesar (c) caput mundi, et cum illo plures summi, (c)
Occubuit Imperator Cunradus legis (d) amator, (d)
Rex Deus, vivos tuere, et defunctis miserere.

III.

Eodem ~~[illegible]~~ fere (e) tempore occasus fuit gloriae, al: vero (e)
Cuit stella matutina Chunelinda regina,
Heu quantum (f) crudelis annus, corruerat Herimannus, (f)
Filius Imperatricis, Dux ~~[illegible]~~ timidus (g) inimicis al: timendus (g)
Cuit Chuno (h) Dux Francorum et pars magna se- (h)
niorum (i), (i)
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

(a) Ecc. Luget.
(b) Ecc. atque.
(c) Ecc. cuit.
(d) Ecc. legum.
(e) Ecc. vero.
(f) Ecc. quam.
(g) Ecc. timendus.
(h) Ecc. Luono.
(i) Ecc. ingenuorum.

*pagina 484.

* IV.

Imperatoris gloria sit nobis in memoria,
(a) Et recenti (a) mentione, vivat vir indoliis cons.
(b) (c) Vivat (b) dominator probus (c) frequenti carmine novus,
(d) (d) praeclara fama, post mortem, vita praestet hunc consortem.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

V.

Regum sanguine genitus, omnes praecellit penitus,
al: fuit sub gloriosus in persona, pulcher ~~[illegible]~~ sub sua corona,
Sceptrum, regnum, imperium, nulli erat plus congruum:
Rempublicam honestavit, huius causa laboravit.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

VI.

Postquam replevit Franciam, per pacis abundantiam
Mitigavit Alemannos, et omnes regni tyrannos,
Caesoribus et vitiis imposuit frena legis,
Vidit sua magnalia praeclabilis Italia.
Rex. Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

VII.

(a) Ec. frequentiore.
(b) Ec. Vivat.
(c) Ec. et.
(d) Ec. et

VII.

Roma subiecit se primum à summo usque ad imum,
Experti sunt Ravennates in bello suo primates,
Sentiebant Veronenses invicti Cesaris enses,
Hesperia se prostravit, imperanti supplicavit.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

VIII

Reversus Alemanniam invenerat calumniam,
Quam hic dissipavit Cesar, ut ventus pulveris instar,
Omnes simul perierunt, qui predatores fuerunt,
At cives prestantissimi Udelrico ~~[illegible]~~ fuit exulati. al: Sunt exulati.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

IX.

Vel moratus imperator, pacis ubicunque dator,
Bellum intulit paganis, ne nocaret Christianis,
Non defendit eos palus, nulla fuit aquis salus,
Cive coriebat Sclavos, Barbaros, et omnes pravos.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miserere.

Finis Wipponis.

Collatæ: per totæ:

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

44

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

48

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

59

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

GROSSHERZOGL. BIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

23

53 Lb. 7 Unc. 1 Lb. 22, 5/17, 15 Unc

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

22,5/11,5 cm

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard * - Euroskala Offset

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg